dc-s

Vaillat (Adrienne

1st

book

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/michaelismajeriv00maie









MICHAELIS MAIERI VIATORIVM,

hoc eſt,

DE MONTIBVS Planetarum ſeptem, ſeu METALLORVM.



ROTHOMAGI,
Sumpt. IOANNIS
BERTHELIN.
V 1651,







MICHAELIS MAJERI

VIATORIVM,

HOC EST,

DE MONTIBVS PLANETARVM ſeptem ſeu Metallorum;

TRACTATVS tam utilis, quàm perſpicuus, quo, ut Indice Mercuriali in trivijs, vel Ariadnêo filo in Labyrintho, ſeu Cynoſurâ in Oceano Chymicorum errorum immenſo, quilibet rationalis, veritatis amans, ad illum, qui in montibus ſeſe abdidit DE Rubea-petra Alexicacum, omnibus Medicis deſideratum, inveſtigandum, uti poterit.



ROTHOMAGI,
Sumpt. IOANNIS BERTHELIN, in area Palatij.

Anno M. DC. LI.

EPIGRAMMA AVTHORIS.

THeſeus Pyrithoum ſub Tartara dira ſecutus
Cautior ad ſuperos retulit inde pedem:
At comes infœlix LAPIDI remoratuſ adhæſit,
Herculeæ nec vim ſenſit, ut ille, manús.
Ipſe quoq; Ægides Labyrinthi ambagibus errans
Sollicitat filum, Dux Ariadna, tuum:
Cujus ope evaſit cavea diſcriminis expers,
In patriam fallax atque relegit iter.
Si tu, qui chymicos intráſti fortè labores,
Hunc, at Pyrithoum non, imitare ducem.
Herculis auxilium tibí víx promitto, ſed à me,
Sí fueris Theſeus, Hæc Ariadna datur.
Inde quod ambiguis in greſſibus ultrò ſequaris,
Expete, & invento tramite liber eris.
Prima viam ratio notet, Experientia quam mox
Edoceat, manuum continuúſque labor.
Naturæ luſtranda ſacræ cunabula cures,
Nec fallet dubijs pagina ſcripta dolis,

ILLVSTRISSIMO ET SERENISSIMO

DOMINO, DOMINO

CHRISTIANO

PRINCIPI ANHALTINO, COMITI IN ASCANIA, DOMINO in Zerbeſto & Berneburgo, &c. Superioris Palatinatus Produci & Gubernatori, Heroi Armis & Artibus Orbi notiſſimo, Domino ſuo clementiſſimo D. D. D.

MICHAEL MAJERUS *C. P. Med. D.*

ETSI, Princeps Illuſtriſſime, hactenus per tot (dum chymicis præter Medicinam, inſudo laboribus) annorum ſpatium, nihil edere in publicum conſtituerim, tùm quia intelligam tot támq; varios in hac materia Authores in dies prodire, tùm quia triumphum ante victoriam canere mihi præpoſterum videatur, nihilominus

nonnulla nunc tandem opuſcula, quæ ab experientia & obſeruatione diutina jam pridem apud me concepi, uti minus dubia, potiſſimum ad commodum aliorum & utilitatem haud exiguam ſpectantia, cum Ars longa, vita brevis, judicium difficile; Experimentum autem periculoſum, revera tam ratione Chymiæ, quàm Medicinæ, dicatur, edere non intermiſi; ex quibus cum TRACTATUS hic de MONTIBUS Planetarum ſeptem, hoc eſt, terreſtrium ſeu metallorum mineris & ſubſtantijs ex montibus petitis, non minus utilis, quàm deſideratus quamplurimis exiſteret, eum Celſit. Tuæ, grati animi causâ, haud immemor ab ea in me tantæ beneficentiæ olim effuſæ, dedicare & offerre non dubitavi, non quaſi Celſit. Tuam per ſe perſpicaciſſimam hiſce inſtruerem, ſed ut aliis minùs exercitatis ſub eius patrocinio quaſi Ariadnam quandam Chymicam, cujus fili ductu ex erroribus incredibilibus tuti evaderent, ſuppeditarem & re-

linquerem; quod ſcriptionis genus, cum & novum & veraciſſimum ſit, niſi me manus, oculi & Vulcanus fallant unà cum ratione experimentali & experimento rationali, non eſt ambiguum, quin Celſit. Tuæ, cui antehac mea qualiacunque à ſincera tamen mente profecta placuerint, pergratum & acceptum futurum ſit, quam Deo Opt. Max. unà cum dilectiſſima conjuge, liberisque Principib. commendo. Dabam Francof. ad Mœn. 1618. Menſe 7.bri.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

APVD antiquos, Candide Lector, pulcherrima allegoria extat, quam Ovidius lib. 2. Metamorph. venuſtè deſcribit, hujus argumenti: Cum Apollo regis Admeti armenta paſceret, Mercurius boves quaſdam, quæ longiùs proceſſerant, furto abactas, in ſylva occultavit, Battoq; cuipiam aquarum cuſtodi, à quo uno viſus fuerat, mandavit, nè cuidam illud furtum indicaret, quod ut libentius faceret, vaccam ei dono dedit: Mercurius verò abiens, ut hominis experiretur fidem, ſumptâ aliâ formâ paulò pòſt ad eum redit, rogans an vaccas quaſdam illuc tranſeuntes vidiſſet, pollicitúsque, ſi indicaret, vaccam cum tauro daturum:

Battus itaque ſpe muneris corruptus;

Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis;

Indicans, ubi paſcerentur; ob quam perfidiam Mercurius eum in lapidem, qui in triviis, ut Index, poſitus habetur, commutavit. Quid verò per boves antiqui, imò per ipſum Mercurium & Apollinem, intellexerint, alibi à nobis (utpote, Hieroglyphicis Ægyptio-Græcis) ſat abundè explicatum eſt: Hic per boves Apollinis, ut & ibi, materiam Philoſophicam accipimus, quæ quo monte à Mercurio abſcondita ſit, permulti in Chymicis occupati jam pridem ſcire exoptarunt: Alij quæſiverunt in diverſis locis, ut agris, hortis, pratis, campis, fluvijs, rivis, fontibus & vallibus, (hoc eſt, ſeu vegetabilium, ſeu animalium, ſeu mineralium) at neutiquam invenerunt, etiamſi per totum vitæ tempus in id incubuerint: Haud rarus, inſtar Virgiliani illius Corydonis, Alexin formoſiſſimum indagantis,

Montibus & ſylvis ſtudio jactavit inani,

vel Narciſſum fruſtrà inſecutus eſt, ut Echo nympha, quæ dum ad omnium voces reſpondit, ſperans jam ſe optato amore potituram, in invia & maciem corporis redacta, ſpem cum ſubſtantia amiſit, nihilq; niſi caſſam ſine corpore VOCEM *retinuit. Quamplurimi, dum ſe pro amore patriæ (ut olim Athenienſium juvenes) ad conflictandum cum Minotauro (materia philoſophica) obtulerunt, præter præſentanea pericula ipſis à monſtro impendentia, in Labyrinthos inextricabiles inciderunt; quorum, ut ratio nominis & inſtituti melius agnoſcatur, vetuſtis ſeculis quatuor fuiſſe perhibentur, Ægyptius, Creticus, Lemnius & Italicus, atque ex iſtis priores duo maximè celeberrimi, à varijs ſcriptoribus memorati. De Cretico ita Virgil. lib. 5. Æn.*

Vt quondam Cretâ fertur Labyrinthus in alta

Parietibus textum cœcis iter, ancipitémque
Mille vijs habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprênſus & irremeabilis error.

Hic, veluti carcer, incluſus detinuit captivos, qui nihil paſſi ſunt incommodi, niſi quòd viarum perplexitate decepti illinc evadere non potuerint: Magnificis ſanè operibus, tempore longo, labore inenarrabili Ægyptius à Miride rege Creticus à Minoë, Dædalo operario, extructi narrantur, non aliam ob cauſam, niſi ut divitias abundantiſſimas ſuorum authorum poſteritati unà cum eorum perpetua memoria teſtatas facerent. Ad hunc modum in philoſophia naturali Labyrinthus perplexiſſimus à diverſis authoribus fundatus & eductus animadvertitur, in quem, quicunque incidant, vix unquam aut rariſſime inde ſe recipere poterunt; Chymicos intelligo libros, quibus intricati

vix milleſimi ſeſe extricare ſolent, ita ut de exitu vero & indubitato certi ſint. Quotuſquiſque enim ex tot ſcribentium numero aliud atteſtatus eſt, quàm ut ſe arcani Philoſophi non ignarum declararet, ac interim ſequentem ſua veſtigia involveret, injectiſque remoris detineret. Quis non araneum ſuis texturis & reticulis imitatus, qui quoties muſcam in ea incidiſſe videt, accurrens, magis illam implicat, ne evadat, tantum abeſt, quod liberet? Rariſſimus Athenienſium morem in his laudabilem ſequitur, apud quos pro ſcelere habebatur, erranti non monſtraſſe viam, pro ſacrilegio, ab ea magis abduxiſſe: Vnde illi ipſi Chymiæ authores proteſtantur, quod qui librorum medio ad artis veritatem deſideret, vix unquam ad eam perventurus ſit, nempe propter librorum ambages & errores inextricabiles, ad quos declinandos aut evitandos, nemo primâ fronte diſcretus ſit, niſi fortè experientia longi temporis

indeſeſſa & inceſſabilis ipſum poſt immenſos labores exhauſtos & ſumptus interpoſitos haud exiguos circumſpectum reddat & erudiat, eíque N A T U R Æ *gremium aperiat & oſtendat, ex imperſcrutabili Dei conſilio: Et ſi verò cauſæ eorum obſcuritatis ſint valde probabiles, ne ſcilicet indignus omnino ad verticem collis ſecretiſſimi, nec dignus, niſi poſt multas vexationes prævias, aſcendat, tamen hæ non ſufficiunt ad omnem veritatem tenebris & erroribus etiam prædocilibus artis filiis involuendam & obſcurandam; quibus ut remedium aliquod accommodatius inveniatur, ego, qui in Labyrintho hoc ipſo diutius detentus fuerim, non ignorans, quo deſiderio ſperato & ſucceſſu ſingula incepta & finita ſint, quidve ſub quibus montibus quæri aut reperiri poſſit, conſtitui* M O N T E S *omnes planetarum perreptare, perveſtigare, aſcendere, inque eorum mineras ſingulas profundiſſime deſcendere, omnibúſque*

ratione præditis ob oculos ponere, quid ex quibus & quomodo elici aut haberi poſſit, ne & ipſi, niſi omnino ſint increduli aut omnium rerum rudes, eandem glaciem perfringere, aut errores errare opus habeant. Qui ſane tractatus non (velut nauta ex tabula) otioſâ ſpeculatione, quæ ſæpe futilis eſt & phantaſtica, nec cum reipſa convenit, ſed rerum, quæ hîc traduntur, experientiâ & uſu profectus & deductus, ſi quiſquam alius, Lectori utiliſſimus accidere poterit, ita ut vel Ariadnêi fili, vel Cynoſuræ, vel Indicis trivialis inſtar in hoc ſtudio & ſtadio longiſſimo, aut potius Labyrintho intricatiſſimo & Oceano immenſo, non injuriâ haberi debeat. Hic enim quemcunque in montibus errantem & non agnoſcentem (ut Arnoldus in novo Lum. cap. 1. conqueritur) materiam philoſophicam, cum palàm, eodem teſte, vendatur nimio precio, in modum Batti illius Indicis ad locum ubi Apis ſeu Bos Ægyptius tegatur, redu-

cet, nec minus Theſea per anfractus & multiplices viarum dolos ambiguum in adyta intima & penetralia artis mittet & remittet, aut vagum in fluctibus marinis, velut cynoſura certa, ad fœlicem portum, diriget & ſiſtet. Etiamſi verò non demonſtret, quæ ſit individua & infallibilis ejus materiæ ſpecies, (quod ab omni ratione alienum) tamen quæ non ſit, & multa alia à nobis obſervata, quæ tyroni aliàs incredibilia & non ſat exploratа, proponit dilucidiſſime hac cautione, ne quis in multiplicia illa & fruſtranei laboris diverticula in initio incidat, aut ſi inciderit, quibus notis id ſciat, ut mature pedem retrò vertat, alióſque ingreſſus in hunc Labyrinthum quærat, quo gratiſſimum tandem exitum ſeu optatum finem lætus inveniat. Nam qui neſcit quid quærit, neſcit quoque quid reperiet, ac qui in principio errat, nunquam ad media, multò minus ad extrema pertinget, cum error errorem pariat

& multiplicet. Noſtro itaque labore, ut ſis cautus, Lector, inque eum & meipſum candidus, hoc fruere lubens abſque invidia, quæ ubi ſit, ut nec ſcriptorem obſcuritatis, ita nec lectorem detrectationis à vitio excuſat. Vale.

DE

DE MONTIBVS PLANETARVM SEPTEM:

TRACTATVS DIVISIO:

CORNELIUS TACITUS lib. Annalium 16. narrat hiſtoriã memorabilem & ſcitu digniſſimam de Cecellio Baſſo, qui in ſomnijs nocturnis falſus de auro, in ſuis agris, ut credebat, antiquitus defoſſo, Neroni Principi immenſos theſauros pollicitus ſit, in hunc modum: Illuſit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipſius expromiſſo Cecellii Baſſi, qui origine Pœnus, mente turbidâ nocturnæ quietis imaginem ad ſpem haud dubiam retraxit: Vectúsque Romam, principis aditum emercatus, expromit repertum in

agro ſuo ſpecum altitudine immenſâ, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, ſed rudi & antiquo pondere: Lateres quippe prægraves jacere à partibus parte alia columnis, quæ per tantum ævi occulta, augendis præſentibus bonis. Cæterum, ut conjectura demonſtrat, Didonem Pheniſſam Tyro profugam condita Carthagine, illas opes abdidiſſe, ne novus populus nimià pecunia laſciveret, aut Reges Numidarum & alia infenſi, cupidine auri ad bellum accenderentur. Igitur Nero non authoris, non ipſius negotii fide ſatis ſpectatâ, nec miſſis viſoribus, per quos noſceret, an vera aſſererentur, auget ultro rumorem, mittítque, qui velut partam prædam adveherent. Dantur triremes & dilectum navigium juvandæ feſtinationi, nec aliud per illos dies populus, credulitate prodentis, diverſa fama tulerat. Ac forte quinquennale ludicrum ſecundo luſtro celebrabatur, oratoribúsque, præcipua materia in laudem principis aſſumpta eſt: Non enim tātùm ſolitas fruges, nec metallis confuſum aurum gigni, ſed nova ubertate provenire terras & obvias opes deferre deos,

quæque alia ſumma facundia nec minore adulatione ſervilia fingebant, ſecuri de facilitate credentis. Gliſcebat interim luxuria ſpe inani, conſumebanturque veteres opes, quaſi oblatis, quas multos per annos prodigeret: Quin & inde jam largiebatur: Et divitiarum expectatio inter cauſſas paupertatis publicæ erat. Nam Baſſus effoſſo agro ſuo latíſque circum arvis, dum hunc vel illum locum promiſſi ſpecus adſeverat, ſequuntúrque non modò milites, ſed populus agreſtium efficiendo operi aſſumptus, tandem poſita vecordia, non falſa ante ſomnia ſua ſéque tunc primum eluſum admirans pudorem & murum morte voluntaria effugit. Quidam vinctum ac mox dimiſſum tradidère; ademptis bonis in locum regiæ gazæ. *Hæc ille.* Tale quid in chymicis operibus indies contingere, nemo non animadvertit, in quibus ſi non mera ſomnia; tamen his ſimilia cogitata ſæpenumero ſpes immenſas cuique nimis credulo promittunt. Quicquid enim quiſquam vel ſemel animo præconceperit, ad id non difficile erit authorum dicta & opera applicare, miro quaſi modo concor-

dantia, quibus tamen effectus rei ſperatus minimè correſpondeat: Vnde permulti vel totam artem præpoſterè damnant vel in deſperationem ipſi incidunt, cum jacturam bonorum, ætatis, famæ, & patriæ paſſi ſint vel alios pati ſentiant. His malis omnibus, licet ex bona intentione & ſcriptorum & operantium originem ducentibus, ut aliquod Alexicacon, quoad poſſibile, ponamus, antequam Labyrinthum hunc chymicum penitus ingrediamur, de vera porta ſolliciti eſſe debemus, quá inventa, de progreſſu proſperiori, non eſt, quod dubitemus. Eſt autem hæc porta nihil aliud, quàm initium operis, hoc eſt, vera & una materia Philoſophorum omnium, de qua verè dici poſſit; Dimidium eſſe plus toto, & dimidium facti, qui bene cœpit, habet. Nam qui ſumit, quod debet ſumere, jam ingreſſus eſt viam veritatis regiã, à qua ſe ſeduci non ſinet, etiamſi non parum nunc ad hæc, nunc ad illa diverticula ut excurrat, neceſſum ſit. Nulla autem econtra veritatis inveniendæ ſpes eſt illi, qui quid pro quo, imò naturæ & arti adverſum elaborare & ad ſuum nutum reducere

nititur. Hunc ad dehortandum, illum ad confirmandum ex THEBIS Ægyptiis Centiportis; propter magnitudinem nimis diffusè patentibus, ad Bœoticas illas ſeu Cadmeas, ſeptem portarum nos conferemus, hoc eſt, ex ferè centenis materiis, quæ vel poterunt ad opus aſſumi, vel aſſumptæ ſint unquam ab aliis licét fruſtra, ſeptem conſiderabimus, nempe Metallicas, intérque illas delectum inſtituemus, propoſito convenientem; atque ſic tractatum hunc in totidem ſeu ſeptem capita dividemus, quorum ſingulis curſum aliquem peculiarem, ſeu deſcenſum in Montem minerum feracem, initio facto ſemper ab uno eorum in Labyrinthi chymici anfractuoſos flexus productum abſolvemus, non ſine Ariadnes rationabilis adminiculo & filo, quo cuique non tam in manum, quàm mentem tradimus, eúmque Deo commendamus.

CAP. I.

De Monte Mercurij.

QVod antea, in præfatione, de bove Apollinea à Mercurio abacta & clam ſub monte aliquo diſpoſita retulimus, id in primis de materia Philoſophica, ut dictum, intelligi debet. Hanc ut inquiramus, de monte ad montem ibimus ſingulàque loca & clauſtra perſcrutabimur. Eſt autem rationabile, quod Mercurius hanc ſub proprij nominis monte, tanquam arca, concluſerit, quocirca hunc omnium primò rimabimur. Mercurius etſi metallum propriè non ſit, quia nec malleabilitatem, aut extenſionem ſub malleo, nec cum aliis metallis permixtionem naturalem præ ſe ferat, tamen quia omnibus metallis, & præcipuè auro, ob naturæ ſimilitudinem amicari videatur, ac plæráque eorum per artem influentem Mercurium reduci poſſint, non immerito à chymicis pro aqua minerali, ex qua metalla admixtione ſulfuris vel fixi magis aut minus, vel non fixi, puri, vel impuri, congelata ſint, habetur. Cujus

ſententiæ argumenta nec aſſerere nec infirmare hic noſtri eſt propoſiti, at ſaltem demonſtrare, quomodo ad artis uſum Mercurius adhibeatur, qui omnino triplex eſt, ut & aliorum metallorum ſequentium, nempe primo ad aurum, ſecundò ad Tincturam, tertiò ad Medicinam; Hoc eſt, nonnulli, qui Mercurio utuntur in chymicis operibus reſpiciunt eò, ut in aurum congeletur per ſe vel cum quibuſdam additamentis: Nonnulli, ut inde Tinctura ſeu lapis philoſophicus conficiatur, per ſe vel cum aliis: Quidam, ut ad medicinam ſolum corporis humani uſurpetur. De quibus ſingulis hoc primò capite ſuo ordine dicturi ſumus, ut proſpiciatur, quid tandem ex Mercurio fieri poſſit, ad quam rem ſit utilis aut non, & quid de eo ſperandum. Philoſophi quando loquuntur de Mercurio, non ſemper intelligunt hunc vulgò cognitum, fluentem, crudum & aqueum, ſed ſæpiſſimè ſuum illum Philoſophicum, de quo inquiſitio hæc noſtra inſtituta eſt. Hunc nominant omnium rerum nominibus ne agnoſcatur & ex omnibus rebus educti aſſerunt, eandem ob cauſſam: qui tamen ſemel cognitus,

operarium non ſua ſpe fruſtratur: De hoc dicitur; Eſt in Mercurio quicquid quærunt ſapientes: Et Mercurius novies ſublimatus eſt totius Magiſterii finis.

De I. uſu Mercurij ad aurum; in quod coagulandus præſumitur.

Aurum, in quod Mercurius communis ſeu vulgaris congelari à quibuſdam deſideratur, cum ſit omnium metallorum perfectiſſimum, ſummus apex, & quaſi terminus, ad quem per naturam pleraque eorum tranſeunt aut artificio deducenda ſunt, ideò hic ejus natura, quoad huic propoſito ſufficiat, definienda & ex ſuis proprietatibus tam eſſentialibus, quàm accidentalibus circumſcribenda eſt. Geber in ſumma perfect. ejus duplicem definitionem poſuit, quarum prima eſt parte tertia, cap. 32. hujusmodi: *Aurum eſt corpus metallicum, citrinum, ponderoſum, mutum, fulgidum, æqualiter in ventre terræ digeſtum, aquâ minerali diutiſſimè lavatum, ſub malleo extenſibile, fuſibile, examinationem Cineritij & cementi tolerans*, ſecunda definitio eſt ibidem lib. 2. cap. 5.

Eſt igitur ſol creatus ex ſubtiliſſima ſubſtantia argenti vivi & clariſſima fixura; & ex ſubſtantia pauca ſulfuris mundi & puræ rubedinis, fixi, clari & à natura ſua mutati, tingentis illam. Ex quibus conſtat, aurum totum eſſe Mercurialem ſubſtantiam, in qua ſit mixtio omnium elementorum perfectiſſima & juxta qualitates eorum æquata. An jam ex Mercurio coagulato talis mixtura fieri poſſit, & quomodo, diſquirendum venit. Eſt autem Mercurius ſubſtantia frigida & humida, ideoque fluens, non æquata in elementorum qualitatibus, volatilis tota in igne & evaneſcens, licet non in partes compoſiti reſolvatur, ſed omnis aſcendat, hoc eſt, terra cum aqua, aëre & igne, & nullum elementum facilè ab alio ſegregetur. Auri quidem ponderoſitatem, fulgorem & homogeneitatem in ſe habet, ſed in aliis proprietatibus ab eo deficit, nempe in citrinitate, malleabilitate, ignibilitate, duratione in igne & auri examinibus, ac demum in æquatione qualitatum omnium. Videamus primò, an aurum naturaliter nonnunquã ex Mercurio coagulato proveniat aut naſcatur: ſi hoc, fortè quoque poſſibile eſſet, id inde provenire per ar-

tem : ſi non, de coagulatione hujus, ut non naturali, cogitandum non eſt. Duplici autem modo invenitur talis Mercurius, uno extra ſuam mineram in foſſa ſubterranea collectus & currens, vel circa ſuperficiem terræ in herbis aut aliis retinaculis aut cavitatibus, quorſum, verſus inferiora ſcilicet, ſuo pondere defluxit, verſus ſuperiora per diſtillationem in fumi ſpecie aſcendit; altero in ſua minera ſeu cinabari nativâ, ex qua per ignis vim diſtillatione elicitur. Sunt, qui dicunt, quemlibet Mercurium aliquid auri in ſe continere, ideóque mirantur id non ſeparari in illis locis, ubi invenitur Mercurius. Verùm fides ſit penes ſuos authores: Ego tale quid neque experimento proprio, neque lectione ex aliis cognovi: ſi de Mercurio in minera ſua adhuc manente intelligi volunt, aliquid forſan dicunt, ſi de Mercurio extra mineram exiſtente & venali, aurum adſcititium ipſi videtur. Nam & in foſſis ſubterraneis & fluviis, ubi ille Mercurius eâ forma colligitur, auri tenuiſſimas particulas in ſe imbibere ſolet & poteſt. Cinabaris illa nativa abſque dubio nihil perfecti metalli in ſe conti-

net: Hæc invenitur interdum eodem colore & figura, qua argenti vena ſanguinea (*Rothguldig*) dicta apparet, ſed nihilominus ex igne evolat & argenti vivi naturam oſtendit: Idem ſentiendum de eo Mercurio, qui extra mineram ſuam collectus invenitur, quod aurum naturaliter in ſe minimè contineat, ſed permixtione ſuperveniente: Non tamen interim negamus, Mercurium in aurum à natura ſuccedente tempore, coagulari, nempe intermediis metallis imperfectis. Vt enim ab extremo ad extremum non datur tranſitus, niſi per ſuum medium, tam ſecundùm naturam, quàm artem, ita nec Mercurius coagulabitur in aurum, niſi tranſeat per metalla auro imperfectiora: Nam in natura metallica Mercurius & aurum longiſſimo intervallo, & tanquam revera extrema duo à ſe invicem diſtant; Et metalla imperfecta vel huic, vel illi magis appropinquant, tanquam intermedia inter utrumque. Quis inficias ibit, aurum ex argento peti, argentum ex plumbo? Quis non videt affinitatem plumbi & Mercurij non admodum remotam, adeò ut aliquando experimentum viderim cum ar- *Experimentum.*

gento vivo per fumum plumbi coagulato, quod cemento ex tegulis antiquis & ſcoria ferri in tigillo ſtrato ſuper ſtratum facto, & per tres horas in ignè gradatim aucto retentum in plumbeam, vel omnino ei ſimilem, tranſierit. Vnde nonnulli promittunt quoque lapidificam vim coagulantem argentum vivum in plumbum, quod an præſtare poſſint, ipſi viderint, mihi eo non ſit veriſimile. Mercurius itaque, ſi à natura in plumbum, plumbum in argentum, argentum in aurum mutetur, hac ratione ex Mercurio fit aurum, ſed longiſſimo tempore, fortè mille annorum, intercedente. Quo dato, conſideremus modum hujus mutationis: Mercurius cùm ſit fumoſa ſubſtantia, ut frigida & humida, non coagulatur à natura, niſi à ſulfure, quod eſt valdè calidum & ſiccum. Hæ duæ ſubſtantiæ generantur ex mixtione elementorum in viſceribus terræ, ſingulæ primo per ſe ex Dei ſingulari providentia: Mercurius ex aqua ita mixta cum terra & proportionata, ut hæc illam non deſerat, & ècontrà; ſed ſi calor accedat, & aqua ejus urgeatur, ut rareſcat in aërem, ipſa quoque terra unà tranſeat in aërem ſeu fumum, hoc eſt,

non ſeparetur aut in fundo relinquatur ab illa: ſi iterum frigus vincat, aut loci anguſtia cogat, ut ex fumo aërio iterum fiat aqua per condenſationem, eadem elementa indiviſa permanent: Hinc fit, ut ſuperficiem tranſcurrat & non humectet, quod eſt manifeſtum ſignum ejus humiditatis aqueæ, non tamen ſeparabilis à terra ſua: In ſulfure ſimiliter ita elementa ſunt commixta, ut non facilè ab invicem ſegregentur, in quo tamen prædominantur calida & ſicca. Vnde ſulfur poſitum ad ignem validum totum aſcendit in fumi ſpeciem, relictis terreſtreitatibus, & poſt coagulatur iterum in ſulphur, quod frigore accedente ſit friabile & durum. Non autem ignoro, ſulfuris oleum factum per campanam, ut vocant, ſeu alembicum, eſſe liquidum & non durum, nec idem ſulfur, quod prius, in fundo relictis partibus quibuſdam, quæ dant duritiem: Ac conſidero hic, quomodo fiat ſulfur commune ex ſuis mineris, nempe per uſtionem & ignis incenſionem inferius, ſuperjectis mineris ſulfureis, ac per ſtrangulationem ſeu mortificationem ſuperius (ut fiunt carbones ex lignis) tum fumi

ſulfurei aſcendentes per contiguitatem minerarum in ſuperficie ſumma frigore coagulantur in ſulfur liquidum , quod depuratur poſtea per diſtillationem in vaſis retortis : Hoc modo id fieri vidi Goſlariæ in Saxonia ex mineris æris & plumbi (ex monte Rammo petitis) valde ſulfureis. Sed aliter id fit jam Snebergæ & non procul à Geir in ſylva, nempe ex minera ſulfurea nil metallici continente , niſi forte quid exiguum (quod non reſpicitur) dante ſimul ſulfur , arſenicum , vitriolum , ocram ſeu flavum & rubrum (*Bergrodt*) colorem dictum : ſulfur itaque cum in ſuis partibus quaſi inſeparabile maneat , aſcendens calore ſubterraneo à centro ad circumferentiam , hoc eſt , à magis interioribus terræ partibus verſus ſuperficiei magis propinquas ; ac ſimiliter argentum vivum eodem modo aſcendens, vtrumque in fumi ſpecie ſeu aëria formâ , complexantur ſe invicem , veluti mas & fœmina , donec in cavitatem quandam ſaxoſam , ſuperius tectam incidant , in qua hi duo fumi coacervati aut cumulati ſemper nouis aſcendentibus , vel noctis ſuperveniente frigore

alióve accidente, vel ſuá copiâ coagulantur in maſſam duram & metallicam, quæ poſtea pro minera plumbi agnoſcitur & eruitur. Quòd ſi verò alia atque alia fuerit proportio horum duorum fumorum, ac calor differens, locúsque, qui locatum continet & appropriat ſibi, aliquâ qualitate imbutus hinc varia genera minerarum metallicarum oriuntur, de quibus hic nihil addimus. Sufficit n. ſaltem demonſtraſſe rudi Minerva, quomodo ex Mercurio illo liquido & fumoſo, necnon ex ſulfure illo calidiſsimo & igneo, in terræ viſceribus generentur metalla imperfecta, in primis plumbum & ſtanum, tanquam minus cocta in ſuis mineris. An verò mox quaſi è veſtigio, quam primùm hi duo fumi ſe invicem complexi, ſint metallum imperfectum, ut pote plumbum, de eo dubitari poteſt; an verò longiori tempore, vt hoc fiant, maturentur; Hæc etſi ſine arcana naturæ opera, quæ mirabiliter operatur ſupra hnmanæ mentis captum, in ſingulis aliis, utpote hominis formatione in utero, cæterorumque animalium & vegetabilium, tamen dicam, quid ſentiam, experientia tum propria, tum aliorum ductus: Vt

conceptio hominis dicitur fieri in momento,& ſic omnis generatio, ſeu introductio formæ novæ in materiam, ſic cogitandum eſt,hanc fieri metallorũ tranſmutationem ſecundum naturam. Hinc conſtat, quamprimum hi duo fumi ſint conjuncti & coagulati,ut dictũ, ſpeciem aliquam metallicam licet crudam,repręſentent.Qua propter nunquam contigit, quod metallarii, qui ſcrutantur metalla, foſſores,inciderint in ſubſtantiam aliquã compoſitam,quę eſſet ſulfur & argentum vivum ſimul, necdum tamen metallum, hoc eſt, plumbum aut ſtannum: Quo argumento quidam ineptè demonitrare conantur, argentum vivum & ſulfur non eſſe principia metallorum, quia nunquam ſimul inventa ſint in unis fodinis, nec ſubſtantia aliqua media inter metallum & horum mixturam: Verùm illi ipſi hoc modo raciocinantes falluntur & à ſeipſis, ſi animadvertant, refutantur: ſi enim vel in eodem die & hora, qua conjunctio horum fumorum contingit, introductio fiat novæ formæ metallicæ, ſive opus ſit integro anno aut amplius, perinde eſt; quemadmodum referunt de homine, quod primis ſeptem

tem diebus formetur Embryonis ſpecies ex ſemine,ac ſequenti tempore augmentetur; Attamen veriſimile eſt, quod hoc de mutatione ſenſibili, quatenus diſcerni poſſit à nobis, intelligendum ſit;Cum axiomata hæc phyſica maneant inconcuſſa; Nullam rem poſſe habere duas vel plures formas phyſicas ſimul, ſed ſaltem unam; Et, Nunquam eſſe abſque forma, Et,ſubſtantiam ſeu eſſentiam non recipere magis & minus;Et,Generationem ſeu introductionem formæ fieri in momento, quæ omnia ſunt unius generis & intentionis: Nihilominus ſi demus mutationem hanc fieri in tempore, quis noſtrum hoc intermedium tempus animadvertere potuit, cũ fortè in metallicas has mineras poſt centenos aliquot annos ab eorum primâ mixtione incidamus. Non enim ita ſe res habet cum ipſis, ut cum animalibus & vegetabilibus, quæ apud nos ſunt in promptu: Vnde non mirandum, ſi hæc ignorentur tanquam remota & abſcondita, cum nunquam obſtetricis munere in horum ortu homo fungatur, ſed natura hæc ut arcana, ex ſeſe abſque hominis interventu producat: ſi elephas, camelus, & multa alia

animalia, tam ſecretè coëunt inter ſe, ut rariſſimè homo id videat arbiter, quid dicemus de his fumis ſubterraneis. Elephas ducentos perdurat annos & 60. juventutem conſervat: ut ſcribunt: Vnde quis hominum ejus ortui & ſenectuti ſimul vnquam adfuit; Annon permulti æſtimarunt elephantem decem integros annos uterum gerere, cum tamen experientia aliorum convincat, ſaltem biennium; ſi hoc in animalibus, quæ ſunt homini ſubjecta & præſentia, quid dicemus fieri in illis ſubterraneis occultis, longioris ætatis, fortioris mixtionis & ſubtilioris eſſentiæ individuis; Quam primum itaque horum fumorum mutua complexio facta eſt, præſupponimus eſſe metalli imperfecti mineram, exempli gratiâ, plumbi in quo tamen eodem tempore Embryo perfectionis, hoc eſt, argenti, apparet: Nam nullum plumbum in minera invenitur omnino abſque argento, ſive in parva ſeu magna quantitate: Scimus quædam plumbi genera tantillum continere, ut pro nullo, quo ad ſenſum, habeatur, ſed revera ſemper aliquid abſcondunt: Villacenſe, quo in Germania plærunque ad probationem minerarum

per cupellum utuntur, tanquam nihil argenti habeat, æſtimatur, ſed quo ad ſenſum intelligendo, non ad rei naturam ac rationem: ſi enim ejus plumbi viginti cèntenarii in pondere (vt mihi pro certo ab aliis probatoribus relatum eſt) contineant ſaltem unam ſemiunciam ſeu lotonem argenti puri, tum drachma una iſtius plumbi (que plerúmque refert centenarium decimaſticum) quantum habebit argenti? Certe hoc quantum ad ſenſum pro nullo reputatur; quantum ad rationem, pro aliqua tamen quantitate, licet exigua. Nam ſi 256000. drachmæ, (hoc eſt, 15360000. grana) plumbi dant 240. grana, (hoc eſt ſemiunciam) argenti puri, tum una drachma (ſeu 60. grana) plumbi, dabit aliquid, ſed nec ſenſibile nec notabile: nempe 64000. grana plumbi, habent unum granum argenti, aut vice verſa, drachma vna (ſeu 60. grana) plumbi habet circiter milleſimam partem unius grani argenti, ſeu unum granum plumbi habet 64000. partem grani argenti: Ex quibus convincitur, perfecta ex imperfectis à natura ſenſim educi, ut ex eruca papilio, ex verme repente inſectum

volans, novâ quâdam aſſumptâ figurâ non quidem de novo generatur, ſed quaſi perficitur. Dum enim ſulfur illud calidum & ſiccum agit in argentum vivum, frigidum & humidum ſibi vaporabiliter commixtum, calore ſubterraneo incitatum & motum, ſemper ejus humiditatis & frigiditatis exiguum quid vincit & ſibi aſſimilat, hoc eſt, aliquantulum caliditatis & ſiccitatis in Mercurium introducit, quæ duæ qualitates, ut agentes, cum illis, ut patientibus junctæ æquationem faciunt metalli, quæ eſt argento propria. Hinc quando plumbi minera ignibus fortibus exponitur, confluit in maſſam plumbeam, quæ habet in ſe fortè mille partes frigiditatis & humiditatis reſpectu argenti vivi, & tantundem reſpectu ſulphuris illi admixti, ſed in ipſo argento vivo ab hoc ſulfure longiori tempore duæ vel tres partes aut plures caliditatis & ſiccitatis factæ ſunt. Vnde probatione factâ per cineritium, eliciuntur hæ duæ vel tres partes in Mercurio calidæ & ſiccæ, quæ totidem de frigidis & humidis ſecum aſſumunt, & per conſequens granum argenti oſtendunt. Quicquid de plumbo hic dicitur,

ſimiliter de aliis intelligendum eſt imperfectis, quamvis non à ſtanno & ferro ita ſeparetur illud granum, veluti à plumbo & ære. Ex hactenus dictis patet, quomodo argentum vivum in imperfecta, imperfecta in perfecta tranſeant: ſi itaque coagulandum ſit argentum vivum ab arte, neceſſum eſt, ut id fiat ad imitationem naturæ: Verum in his naturam imitari non poſſumus, quæ operatur longiſſimo tempore in ſuis vaſis occultis, medio ſulfuris admixti certâ qualitate & quantitate, calore moderato & conueniente. Quæ omnia cùm ab arte fieri nequeant, patet Mercurium nullo modo in aurum coagulari poſſe ab arte; Nec per ſe abſque additione, quia natura ita non procedit, ſed cum admixto ſulfure, nec cum hoc, propter cauſas jam dictas. Nullus itaque hoc ſibi præſumat, cùm verum aurum & naturale hac ratione neutiquam valeat producere, ſed maſſam fortè aliquam, quæ in prædicamento ſubſtantiæ aut curâ naturæ locum non inveniat. Deerunt enim ejuſmodi coagulato Mercurio antea dictæ proprietates auri & vera eſſentia, ideóque vt pictum aliqua carbone vel cre-

ta facta differt à vivo homine, cujus eſt imago, ſic hoc aurum ſophiſticum, aut hæc maſſa ex Mercurio coagulata differt ab auro naturali & vero. Quæ hactenus dicta ſunt, quemlibet rationalem ab innumeris erroribus, qui fiunt circa Mercurium in aurum coagulandum, ſi modo rationi & monitis ſit obſequens, præcavere ac vendicare poſſunt. Nunc videbimus & percurremus, quid factum fuerit & inuentum ab illis, qui Mercurium ita in aurum coagulare præſumpſerunt: Primò omnium ſeſe offert Mercurius cum fumo plumbi congelatus, qui omnibus chymiſtis ferè notus eſt, & ab aliquibus in magno habetur precio, quaſi ſit non fallax rudimentum & indicium ad perfectam illam coagulationem præſtandam. Operatio vulgatior eſt, quàm ut multis tradi debeat: Plumbum liquefit in olla, cui ab igne remoto, cum jam congelaſcere incipit, cum lapide quodam rotundo imprimitur foſſa, in quam (concreto plumbo) argentum vivum infunditur, quod mox in maſſam quandam friabilem & albam congelatur. De hac aliqui referunt, quod poſſint eam reddere malleabilem & tin-

1. Mercurii coagulatio à fumo plumbi.

ctam citrino colore: verum nugantur, & quod in phantaſia conceperunt, re autem nunquam præſtiterunt, quaſi præſtitum ſibi aliisque perſuadere conentur. Nonnulli, ut antea monui, cum hac maſſa ita coagulata procedunt, ut huic minor aliqua quantitas Mercurii non coagulati addatur & in vaſe adminiſtrato calore arenæ vel cineris coaguletur in maſſam conſimilem priori; Vnde affirmant poſſe fieri lapidem plumbificum ex argento vivo, hoc coagulantem in plumbum perpetua congelatione: At hæc licet abſque utilitate ſint, ideóque nulli, qui lucrum quærat, tentanda, tamen dicta videntur, ut poſſibilitas & modus artis demonſtretur, qua ratione & hypotheſes ſeu paradoxa, minimè cum re, quam declarant, convenientia, tanquam vera conceduntur. Argentum enim vivum illud fumo plumbi coagulatum non fit plumbum naturale, nec aſpectu, nec alia quacunque proprietate, niſi illi admiſceatur, quid de eo per fuſionem in igne, ſed manet argentum vivum, ut anteà, demptâ liquiditate currente, ejúsque vice accedente friabilitate, malleum non

2. Ex Mercurio plumbi ſicut lapis quorundam.

admittente: In igne abſque dubio aſcendet, ut prius, & in priſtinam fumoſam, deinde aqueam ponderoſam ſubſtantiam (quamvis id non expertus ſim) redibit, eâdem volatilitate circumſcriptum: ſi igitur eſt argentum vivum, quomodo in plumbum ſui ſimile coagulabit? Imò nec hoc coagulabit, ut opinor, ſed ab eo ad liquiditatem potius reducetur: Invanum itaque ejuſmodi eſſet labor, cum nec pro ludrica nec ſeria re correſpondeat intentioni. Verùm alii animadvertentes à plumbo ſulfur vaporoſum emiſſum hujus coagulationis cauſam exiſtere, varias ingreſſi ſunt vias, ut idem vel cum plumbo, vel cum ſulfure coagularent, quorum quoque operatio cùm naturæ ſit adverſa, ſub fine fruſtrata eſt: ſulfur, ut dictum, in mineris coagulat ſuum argentum vivum, cui naturaliter admixtum eſt, in imperfecta, & hæc in argentum & aurum: Vnde ſtulti ſunt, qui ad hanc operationem præſtandam non potiùs imperfecta ipſa aſſumant, quam argentum vivum adeo crudum, humidum & frigidum, in quod à natura nullæ qualitates calidæ & ſiccæ (de elementis non loquor latentibus

3. Eiuſdem coagulatio cum aliis.

ſub prædominantibus) introductæ ſunt. Quis enim niſi inſanus ex galo & gallina ſemina extrahat & cõjungat; ut ex iis faciat ovum, ex ovo producat pullũ, cum ejuſmodi ova habeat à natura generata. Idem ſtatuendum de Mercurio in metalla imperfecta coagulando,& poſt imperfecta cum imperfecta naturalia habeantur in copia, quæ ignem nunquam attigerint: Ergo horum omnium intentio eſt phantaſtica, quicquid conceperint de Mercurio, quod ſit aurum, ſi ſit coagulatum; tinctum & fixum: Nam hoc opus hic labor eſt, non ſolùm efficere coagulatum, tinctum & fixum, ſed & ut correſpondeat in aliis proprietatibus auri, quæ antea relatæ fuerunt, quod eſt impoſſibile. Ne quis verò exiſtimet, me intelligere hic omnino argenti vivi coagulationem eſſe impoſſibilem quocunque modo, cum ſciamus & notum ſit,per tincturę aurificę additionem in dimidia horâ operationem perfici; Verùm quod hęc tinctura ſeu forma auri non ſit in ipſo argento vivo, niſi forte in potẽtia remotiſſima, quam inde nemo educere poterit, ita ut materia & forma, hoc eſt, patiens & agens, argenti vivi pars maneat ſi-

Demonſtratio vanitatis multorum.

mul, illæſa alterutra: Nam demus, quod argentum vivum fiat per artem abſque corroſivis aut peregrinis additis calidum & ſiccum, at interim ubi manebunt partes ejus humidæ & frigidæ, quæ debent in quantitate elementorum longè excedere quantitatem calidorum & ſiccorum, in quantitate verò qualitatum eorundem æquare: ſic argentum vivum totum vel manet humidum & frigidum, ut prius, & non erit aurum, vel mutabitur per artem in calidum & ſiccum, pereunte ferè omni humiditate & frigiditate ejus, & neque ſic aurum, ſed ſubſtantia aliqua intractabilis ad vitrum vel terram potius accedens, quam aurum. Quæ qualitates humidæ & frigidæ. nec non calidæ & ſiccæ, ſi aurum fiat à natura ex argento vivo mediis imperfectis, non deſtruuntur, ſed æquantur: Ita quoque contingit ſi tinctura aurifica, quæ calida eſt & ſicca in ſubjecto humido argento vivo addatur, ut illud æquet & coagulet in aurum: Eſt itaque Mercurii coagulatio in aurum poſſibilis per naturam & artem, par naturam, via metallorum imperfectorum; per artem, via tincturæ perfectæ: At præter has

vias omnino impoſſibilis. Præterea qui cinnabarim factitiam illam primitus fecerunt, Mercurium in aurum medio ſulfuris coagulare conati ſunt: Hinc Theophraſtus ille genuinus Ariſtotelis diſcipulus (non ille Bombaſtus) ſcribit, quod cinnabaris in Epheſo fiat arte κατ' ἐργασίαν, cum in colchis & Hyberia naſcatur ſponte natura αὐτοφυές. Et memorat Calliam quendam feciſſe cinnabarim, cum ſe aurum facere præſumeret, quod magis credibile eſt, quàm vice verſa, quòd pharmacarius quidem, ut narrant, cum cinnabarim facere tentaret, aurũ confecerit: Cum enim aurum ex argento vivo & ſulfure fieri naturaliter dicatur, inde hujus naturalis compoſitionis imitatores videri voluerunt, qui Mercurium & ſulfur cõmunia conjunxerunt: & ad ignem ſublimando in cinnabarim, non in aurum, coxerunt: Verùm falſi ſunt in eo, quod ſulfur illud ſumpſerunt, à quo auri ſubſtantia eſt alieniſſima, nec quicquam in ſeſe poſſidet, quod dum manet in metallis, ea manent imperfecta, dum ſeparatum eſt, in perfecta migrant. Natura quidem medio illius ſulfuris, ut ante traditũ, aurum generavit, tanquam alicujus

4. Ex Merrio cinnabaris factitia pro auro.

inſtrumenti adminiculo, quod operatione perfecta, ab opere ſuo omnino ſegregavit, quemadmodum faber aut mechanicus utitur malleo, igne vel aqua pro inſtrumentis & mediis, quæ omnia non manent apud res arte factas: Aurum omnino expers eſt ſulfuris cōmunis, & ejus loco aliud ſulfur obtinet nempe metallicum ex argenti vivi ſubſtantia productum, quod homogeneum illi ſit, nec extraneum, à quo ſulfur commune longiſſimo intervallo diſtat: Hoc enim comburit & ipſum eſt combuſtibile, illud neutiquam: Hoc nigredinem, imperfectionem & interitum metallorum cauſatur, illud citrinitatem, perfectionem & in igni conſtantiam: Vnde Diſdiapaſon, quod ajunt, ab invicem hæc duo ſulfura differunt. Cum itaque cinnabaris factitia componatur ex argento vivo & ſulfure communibus, nihil cum auro habet commercii, nec cum auri ſulfure aut tinctura, ſed quando igni validiori adjungetur, facillimè ſeparabuntur eius partes, nempe ut argentum vivum fumi inſtar abeat & in ſuam naturam redeat, ſulfur verò comburatur, terreſtribus quibuſdam fæcibus reli-

ctis, quæ ſi urgeantur igne, in vitrum abeant. Nonnulli conſiderantes hanc ſulfuris combuſtibilis & comburentis naturam, ab eo abſtinent in coagulando Mercurio, & metallico aliquo ſulfure, ut exiſtimant utuntur, aut ex ſalibus aut vegetabilibus diverſis petito: Marti vident Mercurium non adhærere, propter ejus ſulfuris fixi aut terreſtris naturæ abundantiam, & argenti vivi paucitatem, ideóque ſumunt aut ipſum aurum, aut argentum, aut cuprum, cúmque his, quia fixa ſunt, ignibilia & fuſibilia corpora arbitrantur ſeſe Mercurium fixum, ignibilem & fuſibilem effecturos: Cum auro, quod habet in ſe ſulfur fixum & rubrum, amalgamatione Mercurium permiſcent & coquunt, opinantes hunc ab illo vim aliquam congelativam accepturum, & ita in aurum congelatum iri; quemadmodum fèrmenti una pars plures partes de maſſa eadem, nondum acida facta fermentare & acidam reddere poteſt. Verùm falluntur ſuo judicio & ſpe, quia igne lento aurum & Mercurius non moventur, & ſingula manent in ſua natura, forti, hic ab illo avolat, mediocri, longi temporis, Mer-

5. Mercurii coagulatio cum ſulfure metallico.

curius exiccatur in pulverem rubrum, inutilem, qui nihil cum auro vel tinctura auri commune habet; In medicina corporis humani ſolùm valent, ſi abſque corroſivis ſit factus, de quo poſt: Hæc via innumeros artifices, ut Labyrinthi error frequentiſſimus, diutiſſimè detinuit & vexavit. Cauſa hujus erroris ita perſpicitur: ſulfur in auro exiſtens eſt minima pars ejus, quæ ſi in compoſito maneat, ipſi dat eſſentiam auri ſimpliciter, non autem ſe propagare poteſt, aut per commixtionem compoſiti cum argento vivo id perficere in aurum, uti nec vinum (quod omnem eſſentiam habet à ſpiritu ſuo) aquæ commixtum, illam tranſmutat in vinum, ſed ab aqua potius adulteratur & inficitur, & à vini homogenea natura redditur ſemotius & alienius. Nec verò quiſquam imaginetur vim aliquam traducem ſeu propagantem ſeſe in infinitum ineſſe auro, qualis eſt in animantibus & vegetabilibus, quæ ſi ineſſet, non tamen in actum deduci poſſet, niſi in ſua propria matrice ſeu natura, quæ ſi eſſet argentum vivum apud naturam, tum hoc cum auro conjuctum in minoris vel fluviis ab eo

tranſmutaretur. Et ſic aurum ſibi infinitam ſobolem generaret ex argento vivo, quod erroneum eſt non ſolùm, ſed & ſtultum cogitare, unde non opus habebis ulteriori declaratione: Quicquid cum fermento conjungitur, ſi ſit ſimilis ſubſtantiæ, fit fermentum, quicquid in ſalinas incidit, dicitur ſal fieri, quicquid in aquas lapidificantes, lapis, ſed ita non eſt cum auro, ut quicquid cum eo conjungatur, fiat aurum. Eſt enim aurum quaſi ſummum naturæ metallicæ miraculum, & omnis mixtionis naturalis, quo ad ſortem compoſitionem, apex, à quo Mercurius vulgi, tanquam extremum ab extremo, longiſſimè diſtat: ſi gramen cum carne bubula coquatur, non illud in hanc tranſit, quamvis bos gramine potius accreverit & paſtus ſit naturaliter; Cauſa eſt, quia ars in his naturam imitari non poteſt, multò minùs mille modis ſuperare. Quomodo enim una ſimplex coctio artis gramen verteret in carnes bovis cum natura in bove viva tantas mutationes requirat, antequam ex gramine fiat caro bubula? Ita cogitandum eſt de auro: Quomodo homo per artem poſſit facere

id ex Mercurio coagulato per mixtionem & coctionem cum eo, cum natura tantum tempus, tanta vaſa, tantas tranſmutationes, tantaque media, antequam ex Mercurio faciat aurum per imperfecta, ut dictum eundo, expetat & neceſſaria habeat? Quicquid de auro hic ſtatuitur, idem de argento intelligendum venit: Si itaque nec ſulfur auri, nec argenti vim habeat coagulativam Mercurio communicabilem, quo hic in aurum mutetur, quid exiſtimabimus de ære, ferro, ſtanno aut plumbo? quæ ſingula ſi potentiam haberent ſibi aſſimilandi Mercurium per commixtionem, non tamen in aliam naturam, quam ſibi propriam, multò minùs in auream, dominium exercerent. At nec in propriam illa Mercurium promovere poſſunt, cùm horum mixtio naturalis arti ſit omnino impoſſibilis & inimitabilis, quicquid conetur, inconſideratus operarius.

6. *Per vaſa metallica.* Fruſtrà itaque vaſa cuprea, ferrea: aurea vel argentea ad Mercurii coagulationem aſſumuntur, utpote à natura aliena & abhorrentia, ſic & limaturæ, laminæ, folia & ſolutiones metallorum per amalgamationes, liquefa-

ctiones,

ctiones, aquas fortes, regias, acetoſas vel alias ejuſmodi, metallicas, vel non, cùm in via naturæ locum non inveniant. Quid jam de vegetabilibus aut animalium partibus dicemus ad metallicam ſubſtantiam prorſus inutilibus & ineptis? Coagulent hæc omnia vel ſingula Mercurium, ut poſſunt, nihil hoc ad aurum. Non enim introducent in Mercurium caliditatem & ſiccitatem (humiditate & frigiditate illius illæſis) tantam & talem, quæ requiritur ad ejus æquationem. Vnde nec eum coagulabunt in aurum, quod proprium eſt ſolius tincturæ aurificæ, quæ non latet alibi, quàm in naturali ſuo ſubjecto ſolo & unico. Idem ſentiendum de ſalibus, quæ quaſi intermedia ſunt inter vegetabilem & mineralem naturam, prout eſt ſal tartari, nitri, commune, vegetabilium & alia mineralia ac ſemimetalla. In quibus cùm veſtigia quædam & quaſi ſemina metallorum appareant, fortè ad tincturam inde eliciendam & Mercurio conjungendam laborare quis poſſet, de quibus nunc dicturi ſumus, non ad Mercurium con-

gelandum in aurum.

De II. uſu Mercurij ad tincturam, in quam reduci tentatur.

Multi ex chymiæ operam impendentibus eò uſque cogitationes ſuas extendunt, quod ſciant, tincturam eſſe quærendam in ſpiritibus, & præ reliquis in Mercurio; In ſpiritibus ideò, quia debeat eſſe ſpiritualis, ut penetrare poſſit corpora etiam metallorum ſolida, inque illorum poros ſeſe inſinuare, ad ſegregandum ſulfur innatum primæ originis. Corpus enim ita non ingreditur corpus, ſed illi ſaltem admiſcetur in contiguitate, non continuitate, prout ſpiritus, cujus ſolius eſt permeare denſa & alterare ſibi admixta; In Mercurio, quia tota ars Hermetica circa Hermem, hoc eſt, Mercurium verſetur, in quo omne ſitum ſit, atque ipſum aurum nil niſi Mercurius habeatur: Et quidem hi cùm credant Mercurii in aurum coagulationem non poſſibilem, eum in tincturam, & millies quid auro perfectius

evehere conantur per artem : Contra quam intentionem generalem nos antea in Cœlidonia noſtrâ argumenta non parvi momenti produximus , quæ non paucis à conatibus fruſtraneis , ne ſeſe in hunc Labyrinthum chymicum ſponte ſua præcipitent , dehortari poſſunt, quibus verò , illis non perſpectis , placeat nihilominùs experimentari , quid ratio poſſit , quidve ars aut natura valeat , his hoc tractatu conſultum voluimus. Mercurius abſque ulla additione in vaſis ſupra lenem ignem retentus longiſſimo tempore , vix decem annorum, à ſuâ natura mutabitur ; hoc eſt , ſi non loco moveatur in tepido calore , ſi forti , ut aſcendat , vel exitum invenit & avolat , vel in aquam redit , & ſua gravitate iterùm deſcèndit ; & mox aſcendit , ut prius. Atque hac ratione fortè annuo ſpatio & amplius , reciprocatione facta in pulverem tandem rubeum abibit , qui ut nec aurum eſt, ita nec tinctura ejus , ſed vel in Mercurium vivum album reducibilis fortiſſimo igne , vel in vitrum. Idem contigit , ſi conjungatur cum aliis cor-

1. Mercurius ſolo igne ad tincturam coagulandus.

2. Mercurius additis corpo-

ribus metallicis in tincturam coagulandus.

poribus ſiccis & terreſtribus, metallicis, ſive non metallicis: ſi cum auro & argento, ut dictum, nulla inde tinctura proveniet, uti nec aurum, ſed Turbit aut præcipitatus: ſic nec, ſi cum aliis metallis aut eorum mineris fixatis præcipitetur aut coaguletur, tinctura inde ſperanda eſt: Quia vel manet in ſua volatili & alba natura nil mutata intrinſecus, ſed ſaltem extrinſecus ad aſpectum, vel ſi ab hac violentia quadam ſeducatur, in terram inutilem & mortuum abit; idque vel fortiſſimo vaſe & igne, vel longiſſimo tempore. Aqua autem volatilis & terra immobilis, in quæ duo elementa Mercurius, tanquam Protheus aliquis ſe ſemper tranſmutat, non ſunt de proprietate eſſentiali tincturæ: At è contrario, ſi aqua illa ſit non volatilis & tincta, terráque illa mobilis tingens; tum erit oleum illud incombuſtibile & ſal fuſibile, quo habito laudandus ſit Deus.

3. Mercurius ſublimatus vulgi venenum.

Quocirca alii hanc Mercurii inconſtantiam animadvertentes longâ experientia edocti, voluerunt illum mortificare vel trucidare cum aliis corroſivis acutis & adſtringentibus mi-

neralibus, aut aquis ſuccisve ex iis elicitis. Quidam miſcuerunt eum ſali petræ & vitriolo, quidam aluminibus diverſis, & inde diſtillarunt per alembicum primò aquam, poſtea Mercurium; quem novis deinde his ſimilibus materiis junxerunt, iterúmque diſtillarunt, ídque toties donec à ſua natura mutatus aſcenderet, vel in fundo maneret: túmque hanc belluam optimè trucidatam putârunt. Verùm pro tinctura ſaluberrima venenum teterrimum invenerunt, cum ſuis authoribus ex rebus humanis relegandum omnino: quantum mali ex hoc invento exortum ſit, dici vix poteſt: Nihilominus ad uſus humanos multiplices, utpote aurifabrorum, coſmeticam, medicinam & chirurgiam tandem adhibitus eſt. Alii ex iiſdem ſalibus aquas di- 4.
ſtillarunt, quas fortes vocant, cum qui- *Mercu-*
bus Mercurium ſæpius diſtillarunt, ab- *rius præ-*
ſtrahendo & refundendo, donec hinc *cipitatus*
pulvis rubeus, qui præcipitatus propriè *vulgi.*
nominatur, exortus eſt: Hic licet ſit rubeus aut citrinus, tamen tinctura non eſt aurifica, à qua diſtat longiſsimè, quia redit in priſtinam naturam volatilem

& albam, nec mutat, ſed mutatur: non eſt calidus & ſiccus, retenta humiditate & frigiditate, ſed aut his aut illis qualitatibus præpollet aut ſpoliatur omnino. Eundem effectum alii cum aquis diverſis multorum generum ſibi pollicentur, quas hic præterimus. Quidam corroſiva omnia vitantes, & tincturam conficiendam, Mercurio jungunt granatos, chalædonium, criſtallum, ſmiridem aut ejuſmodi alios lapides pulveriſatos, eúmque præcipitant igne convenienti, & vaſe in pulverem ejuſdem coloris & utilitatis, ſed ad medicinam tamen jam dicto tutiorem & efficaciorem. Verùm animadvertentes alii nec per ſublimationem, nec præcipitationem memoratam, à Mercurio poſſe volatilitatem adimi, aggreſſi ſunt alias vias ad ſiſtendum eum, nempe detracta ipſi aquoſitate nimia, cujus ratione redit in priſtinam naturam, vel avolat. Hoc alii per inſtrumenta diverſa obtinere ſperarunt, nempe cum vaſe oblongo, cujus inferior pars craſſior ſit in igne validiſſimo, ſuperior in aëre ſatis fri-

5. Præcipitati alii abſque corroſivis.


6. Mercurii fixatio ad tincturam per vas longum.

gido ; Vnde Mercurius calore ignis actus aſcendat in ſuperiorem vaſis partem , de qua frigore aëris condenſatus ſua gravitate in fundum decidat, ídque toties , donec maneat totus inferius , nec amplius aſcendere poſſit. Quidam ad hoc aliis vaſis & inſtrumentis utuntur , ſed eadem eſt intentio & effectus ; ideóque in his nulla diverſitas. Proceſſit inſuper audacia , ne dicam ſtultitia , quorundam eò uſque, ut Mercurium vel ſimplicem vel ſublimatum vel præcipitatum incluſerint tormento ferreo craſſo & valido , obſtructis omnibus viis reſpirationis aut evaſionis , & ſic per 40. dies ac noctes tenuerint in igne fortiſſimo , maximo circumſtantium periculo , nulla utilitate , niſi quod pro Mercurii ſublimati impoſiti libra una tres vel quatuor libras inde (ex corroſione , ut opinor, inſtrumenti ferrei) eximere ſe poſſe jactent. At hæc à tinctura philoſophica longiſſimè abeſſe nemo non videt , cujus notas & dotes Geber aliique quamplures deſcripſerunt , quod debeat eſſe Mercurialis , homogenea , fixa , hoc eſt,

Per vas ferreum.

in aſperrimo igne non fugiens aut diminuenda, ruberrima, tenuiſsimæ eſſentiæ, ingrediens in metalla, liquefiens, ſeſéque illis permiſcens abſque ulla ſeparatione, quodcunque extraneum ſulfur igni comburendum exponens, inde pondus, citrinitas, puritas & æquatio compoſiti contingat, quod aurum dicitur: Talis tinctura an expectanda ſit ex Mercurio, videant diſcreti artifices & conſiderent, quomodo eſſe, quomodò non poſſit: Quod non hactenus enumeratis modis ſatis patuit, nec forte aliis, qui innumeri ſunt, ideóque non hic recenſendi; Quibus omnibus ſeu dictis ſeu omiſsis aut dicendis, nunc certam quandam figuram, tanquam Mercurialem ſtatuam, toti hujus tractatui inſervientem, ad viam veritatis in hoc Labyrintho inveniendam aut inutilem apponemus & accommodabimus, ut ea conſpecta quilibet intelligens agnoſcat, quam portam eligere, qualem ſemitam ſequi & quem exitum ſperare debeat.

THEBARVM BÆOTICARVM deſcriptio.



Thebis illis antiquiſsimi (quibus Cadmus Agenoris filius fundator, Dio-

nyſius verò ex Semele, Cadmi & Harmoniæ filia natus, tanquam Deus congentilis, protector extitit) fuiſſe ſeptem portas jam ante meminimus, ideóque has nobis præ Ægyptiis eligendas & imitandas: ſingulis portis, ſi bene antiquitatis illius monumenta ſcrutemur ſingula munera & inſignia addicata invenimus: Verſus occaſum æquinoctialem prima omnium viſebatur ordine & amplitudine ſpectabilis, in cujus turri eminentiori ex ſolido marmore extructa imago hominis habebatur: Quæ hanc proximè verſus occaſum ſolſtitii hyberni ſequebatur porta, non minus decorata materia & arte, pro hieroglyphieis literis agnum monſtravit: ſeptentrioni directè oppoſita fuit tertia, quæ delphinum pro imagine habuit. Quarta ortui ſolſtiali hyberno correſpondebat cum figura bovis: Quinta ortui æquinoctiali objecta, cujus nota, caper fuerit: ſexta ad ortum ſolſtitii æſtivi reſpondit, quæ canem venaticum habuit: ſeptima & ultima reſpexit ſolſtitii æſtivi occaſum, & pro inſigniis habuit Leonem: Verſus meridiem porta fuit ſed non aperta, ab antiquo tempo-

re clauſa muro & cincta: Per ſingulas has portas ingreſſus patuit in urbem, ſed per unicam ſaltem earum in arcem ejus munitiſſimam & pulcherrimam aſcendebatur, ſingulis ſeptimanæ cujuſque diebus una ex his patuit, cæteris obſeratis & cuſtodiâ præpeditis: Ad hæc non licuit quicquam animalium in hujus urbis forum adducere, niſi per propriam ſuam portam. Quotquot huc venerunt advenæ, viderunt quidem arcem illam protinus ornatiſſimam, ſed modum intrandi ignorarunt, unde maximis fatigabantur curis & doloribus: Inter cæteros quidam acceſſit ab ea parte vnde zephyrus ſpirat, qui cum ſeſe omnino arcem occupaturum opinaretur, ſpe tamen ſua fruſtratus ex medio urbis ſeſe recepit extra mœnia, circum quæ dum ambitum inſtituit, quotieſcunque ad portam aliquam novam acceſſit, obſervavit viatorio ſuo inſtrumento, quæ directior eſſet ad arcem linea; quod equidem ſcire non potuit, antequam totam, quanta eſſet urbem circuiſſet, ac tandem invenit, portam eam clauſam verſus meridiem maximè ad arcem directam eſſe; Poſt hanc eam, quæ à

VIATORII VSVS.

cœli parte, unde corus ſpirat: Deinde, quæ occaſui æquinoctiali oppoſita eſt; ad quam cum poſt incredibiles exhauſtos labores acceſsiſſet, pérque eam in civitatem intraſſet, non dubitavit de ſemita ad arcem ducente invenienda: quàm an unquam invenerit, ínque eam aſcenderit, affirmare nequeo; tantum ſcio illi potentiam & modum per anguſtos penetrandi meatus arcisque ſumma faſtigia obtinendi non defuiſſe.

De III. Vſu Mercurii ad Medicinam corporis humani.

Hactenus deſcriptæ Mercurii coagulationis & tincturæ ſpecies, licet ſuæ propriæ intentioni non ſerviant, Medicinæ corporis humani tamen negari non poterunt, præſertim cum per experientiam tales probatæ & inventæ ſint: Empyrici ex chymiſtis non ſolum coagulatos illos Mercurios à ſe fortuitò factos ſed etiam cinnabarim, tam artificialem, quam nativam, ſublimatos & præcipitatos omnis generis ægrotis propinarunt: Quæ ſanæ medicamenta bona ſunt & haberi poſſunt, dummo-

do abſque corroſivi ſuſpicione maneant: An verò ab aqua forti cauſtica & deleteria vis Mercurio vel à ſalibus impreſſa igne exuri vel aqua omnino ablui poſsit, diſpiciant alii: Mercurium abſque ulla peregrini corrodentis noxa præparatum, optimum præ aliis cenſeo: qualis cum oleo ſulfuris per campanam diſtillato factus exiſtimatur, niſi exploratum ſit hoc ipſum, arſenicali proximum, oleum corroſionis vi ſolvere aurum & cætera abſumere metalla, ideóque valde ſuſpectum, præterquam, quod parum operetur in corpore humano, etiamſi ſit ſatis curiosè & circumſpectè præparatum; Cujus vice eligat ſibi alium modum ex antedictis cum gemmis, aut cum lapide lazuli vel armeno, ut purgatio per inferiora fiat expeditior: ſunt qui crudum Mercurium pilulis cochiis aut maſtichinis admiſcent, atque eundem effectum, de quo tamen dubito, pollicentur: Pro quo, ſi ille, qui coagulatus ſit fumo plumbi pilulis iiſdem (quibus tamen in mixturis Mercurius ſemper ſit ignavus) commiſſus adminiſtretur, abſque dubio utilior & commodior futurus eſ-

ſet: Omnium virtutum & efficaciam antecedit Aurelius ille dictus melioris, quam illi notæ & originis, de quo aliàs: Cum Mercurius purget, & ſalivationem promoveat, dum volatilem ſeu fumoſam naturam adhuc habeat, non autem ſi fixatus ſit in pulverem ſicciſſimum, ratio patet. Quia calor vel ſtomachi vel etiam membrorum externorum, ſi illinatur, videtur nonnihil de ejus fumoſa ſubſtantia reſolvere, quod ſenſim aſcendendo in tranſitu humores pituitoſos viſceribus impactos, pigros & quietos inhærentes, ad motum incitet & clementer provocet: qui ſi fluxiles ſemel ſint facti à calore ſtomachi, venarum miſeraicarum; Epatis aut aliorum viſcerum & membrorum juvantur & expelluntur. Humida enim natura Mercurii virtutem expulſivam, quæ in humiditate exiſtit ſemper leniendo provocat: Hinc caſſia, manna, pruna Vngarica, jus herbarum mollientium, terebinthina & ejuſmodi humectando inteſtina ſicciora reddita per calorem & ſiccitatem morbi vel excrementorum obſtipantium, vias mitigant & vim expultricem juvant, quo calor naturalis ſuæ

áctione non fruſtretur, ſe & naturæ adverſa expellat & amica attrahat, retineat & alteret in commoditatem individui; quæ emollientia ex vegetabilibus, quia non tota ſui ſubſtantia aſcendant à calore viſcerum reſoluta, ſed ſaltem eorum aquea pars relicta terreſtri in fundo inde neque hæc ſputationem promovent, veluti Mercurius; Et Mercurius ipſe fixatus ſeu quomodocunque mortificatus hac virtute humectante ſimul & aſcenſu privatur, imo & purgante quacunque vel ſuperius vel inferius: Ex quibus patet cauſa, cujus huius Mercurii operatio miniſtrati cum ſpiritu vini fortificetur, quod nimirum unà cum frigida & humida Mercurii ſubſtantia aſcendat calida de ſpiritu vini, quæ calorem naturalem excitet & corroboret, & ſic major excretio fiat, nempe humectatis viis & calore aucto per accidens. Deinde & ex his conſtat, cur Mercurius excitatus in terram fixam non operetur evacuando, quia nimirũ humiditate, quum non habet, non adjuvare poteſt vim expultricem. Quid jam dicemus de Mercurio ſublimato, illo venenoſo, qui ſuâ propriâ aquâ per effuſionem & ab-

ſtractionem reiteratam dicitur edulcari, ablui & omni corroſivâ vi ſpoliari? quid de Mercurio præcipitato communi per aquam fortem facto, rubeo, vel de albo illo per eandem ſoluto & cum aqua ſalis ad fundum reverberato, an hi Mercurii omnem ſuam venenoſitatem exuant, an verò abſcondant, ad tempus? Certè medici quamplurimi his ſeſe cum ſumma utilitate abſque noxa uſos adfirmant. Verùm cùm in dictis Mercuriis illa humiditas & frigiditas, quâ operatio illa ſalivationem excitans perficitur, non ſit omnino ſublata ſeu eradicata ita, quod caliditas & ſiccitas ejus vice operaretur, ſed ſaltem tecta & ſepulta ſub fæcibus ſalium, ex quibus aqua fortis conſtat, vel aliæ ejuſmodi additiones abundant, hinc nulla ſalivatio ſenſibilis inde ſequitur, unde nec per conſequens alvi ſubductio, quam tamen ſequi ex Mercurio illo albo, & aliis ejuſmodi multi promittunt, hoc eſt, quod ſolum inferius, non ſuperius operari debeat, id quam verum ſit, experientiæ & rei naturæ conveniat, judicent alii: Nam ſi aliqua inde alvi evacuatio ſequeretur, cum non ſit ex humiditate

ditate leniente, certè erit ex caliditate irritãte, quæ accidentaria eſt in illo Mercurio, nempe à ſalibus introducta, quemadmodum multa extremè calida, ut Euphorbium, cataputia, & his ſimilia, attrahant humores & evacuant, quamvis tamen in his poſſit eſſe peculiaris vis purgans, quæ non proveniat à caliditate illa manifeſta, ſed occulta qualitate, ut quidam volunt. Verùm in Mercurio aliter ſe res habet: In hoc naturalis vis obtruditur admixtis aquis & ſalibus, quæ fuit, humectando evacuere ſuperius & inferius, & alia præternaturalis & accidentaria ipſi conciliatur, nempe per ſales & aquas fortes, quæ eſt, non purgare ſuperius, ſed ſolùm inferius: Cujus rei nulla eſt ratio, niſi in calore, ut dictum, ſuper veniente, non in humiditate, quæ obliterata eſt: ſint itaque cautiores & medici & ægroti in ejuſmodi Mercuriis mortificatis & ſtrangulatis propinandis & aſſumendis, ne aliquid noxæ relinquant in corporibus & plus damni, quam commodi præſtent. Nam non ſequitur, nihil ſenſerunt mali ægroti, ſed bene ſe habuerunt. Ergo vis illa venenoſa non adeſt ampliùs, nec no-

cere poteſt. Novimus eſſe quoque venena, quæ eo tempore, quo aſſumuntur, non occidunt, ſed ſunt innoxia & inſenſibilia, cum tamen in poſterum exiſtant læthalia. Quid? ſi tale quid contingeret in Mercuriis illis mortificatis, ut mortificarent potius aſſumentes poſt aliquod temporis ſpatium, quàm à morbis relevarent? Demus, quod primò relevarint, cur non & poſtea nocere poterunt? Nec verò medicus, nec æger de his rebus certus eſſe poterit, niſi eventu: Imò ſi unus aut alter nullam noxam inde ſenſiſſet, nempe in humido morbo vel temperamento quis certus fuerit, quod nec alius in alio morbo vel temperie corporis. Novimus quendam circumforaneum ſeu Empyricum medicaſtrum arſeni dragchmam unam vel plures in corona aſtantium aſſumpſiſſe per os atque inde poſt ſemihoram intumefactum, miſerum ſibi theriacæ ſuæ auxilio ſubueniſſe, cum admiratione omnium, at cum id ſæpius ſingulis diebus reiteraret, pollicitus ſibi certiſſimum alexiterion fore in ſua pixide, (ignorans Theriacam appropriari venenis potius beſtiarum, quàm corrodenti-

bus) præſentaneam ſibi mortem accerſivit, cum ſtupore adſtantium : ſic vidimus aliquando puellam quadrimam vel circiter, bibiſſe aquam venenoſam arſenicalem , qua necantur muſcæ , at abſque noxa , quia paulo antè ceraſorum magnam copiam ingeſſiſſet, quibus per vomitionem rejectis , nihil mali ſenſit, nempe per accidens : Eadem referuntur de ebrioſo quodam , qui aquam fortem ſeu ſeparatoriam hauſit noctu pro alio liquore ſitibundus , & reſtitutus eſt à præſente mox medico : Tutius itaque eſt uti præſidiis medicinalibus abſque ullius noxæ ſuſpicione : Mercurius per ſe eſt morborum plurimorum alexipharmacum , & ut teſtantur quidam ipſius peſtis (cum eo loco , ubi hic effoditur & tractatur , nunquam aut rariſſimè contagium hoc graſſetur) dummodo maneat ſua propria natura, & non à ſalibus aut aquis corroſivis inficiatur & venenoſus reddatur : Videant hinc illi , qui putant ſe illum præparaſſe , ne deſtruxiſſe aut corrupiſſe potius exiſtimare poſſint : Nam Mercurium non purgantem ſuperius , ſed ſolùm inferius naturâ ſuâ illæsâ produxiſſe,

ęquè mihi poſſibile videtur, quàm ignem abſque calore, aquam abſque liquiditate & triangulum abſque tribus angulis. Detracta enim proprietate rei quaſi eſſentiali, res ipſa, quæ fuit, permanere nequit, ſed fit aliud, aliáque forma innoteſcit: Inde miror, quoſdam conari opio, euphorbio, ſcammonio & aliis ejuſmodi fortiſſimis medicamentis, uti & Mercurio, certas qualitates, quæ ipſis ſint eſſentiales, non accidentales præparatione ſua præconcepta detrahere, ſubſtantiis illorum & virtutibus illæſis. Obtundere quidem poſſunt hanc vel illam qualitatem contrarietate ipſis propria, ut opii vim narcoticam acetoſis, non euphorbii caliditate, ſcammonii violentiam ſolutivam ſucco cydoniorum reſtringente, Mercurii vim aſcendentem cum pilulis Ruffi vel cochiis ad inferiora revellentibus, vix delectum præſtare in correctione. Nam opium ſi torreatur ſupra carbones, unde flamma excitetur, quomodo ero certus, quod non vis illa, quæ operationem narcoticam efficere debet, torrefactione pereat, & ſaltem noxa abeat, hâc illæsâ. Vinum, quod ſulfure infectum, ut ſit

vulgo, incenditur: Vnde ero certus, quod ſulfuris reliquiæ & non potius optima ſpiritus vini pars conſumatur, cùm conſtet, ſulfur non incendi in humida ſubſtantia, ſed in ſicca & terreſtri, ſpiritum autem vini, humori mixtum, facilimè inflammari. Hinc admirandum, quoſdam ita pituita cerebri laborare, ut promittant horum à ſeſe præparatorum medicamentorum, aliàs fortiſſimorum, doſes duplices aut triplices, imò ut pro ſaccharo tutè aſſumi poſſint abſque noxa, gloriantes quoque de artificio ſuo tam feliciter peracto, cùm non intelligant, ſeſe illud medicamentum aut ab innatis virtutibus ſpoliaſſe & deſtruxiſſe, aut ejus virtutes nocuas ſub pallio quodam abſcondiſſe, & ſic ſerpentem magis noxium reddidiſſe, quem ſub dumetis, quaſi in inſidiis collocarint: ſi deſtruxerint, exempli gratia, virtutes opii, ſcāmonii, antimonii, Mercurii quibus quodlibet maximè valebat, ita ut multum cujúsque aſſumi poſſit, opium non erit opium, nec ſcammonium ſcammonium, & ſic de reliquis: Imò ſatius fuiſſet, in doſi parva nota & conſueta unà cum correctione convenienti adhibita

quodlibet adminiſtraſſe, quàm tot laboribus interpoſitis doſin majorem, cum dubio & pretio majori. Mercurius itaque tum pro medicamento uti habeatur, quando non deſinit eſſe Mercurius, quomodocunque præparetur, corrigatur, & cum aliis miſceatur: Vnde ſub una forma, nempe, ut dictum, præcipitati innoxii, omnes operationes Mercurio dignas, ſuperius & inferius evacuando, perficiet. Quando verò fixatus eſt in terream ſubſtantiam, amiſit illam operandi virtutem & temperamentum ſuum proprium, quo omnia elementa, præſertim aquam & terram, ita habet copulata, ut unum cum altero in aſcenſione maneat inſeparatum, & terræ cujuſcunque qualitatem aſſumpſit, quæ eſt ſiccitas cum caliditate accidentali: Longè aliter ſe res habet cum auro, quod ſolutum & deſinens eſſe aurum, retinet tamen humiditatem caliditati junctam, unde hoc agit in corpus humanum, omniáque ejus membra, præcipuè cor ac ſpiritus corroborando. In caliditate enim & humiditate conſiſtit fons vitæ, nempe humidum radicale, & calidum nativum, quorum aſſumptio-

ne aut ſuffocatione homo interit, conſortatione & reſtauratione, vigeſcit & vires recuperat. Hæ qualitates non ſunt in Mercurio, niſi valdè remotè, exceptis paſſivis & fœmineis, quibus ſi per artem maſculinæ & agentes, prout natura admittit, conjungantur, ſequetur compoſitum, pro caliditate & humiditate exuperet, de quo in ſequentibus latiùs dicemus.

CAP. II.

De monte Saturni.

SAturnum hìc intelligimus non planetam illum mundi ſupremum, nec Deorum Ethnicorum quaſi abavum & primum ſatorem (de quo in Hieroglyphicis noſtris ſuo loco ſat egimus) ſed metallicam ſubſtantiam, quæ plumbi vel ejus mineræ, nomine appellatur, prout communiter recipitur: Huic proximum à Mercurio locum conceſſimus, cùm & in artis philoſophicæ & naturæ operatione hac ſerie illum ſequatur, teſtantibus Philoſophis & ipſius rei experi-

mentis. Demus enim, quod Mercurius det materiam ſeu ſeminium primum operi, velut infanti, tum Saturnus ſuâ frigiditate conſtringente, ut loquuntur, conceptionem adjuvat, & nigredine ſupervenienter eandem eſſe factam demonſtrat, ne quid de reliquis planetis aut coloribus hic addamus: Hoc conſtat, in terræ mineris à Mercurio ad Saturnum facilem & proximum eſſe progreſſum, & Saturnum nil niſi Mercurium leviter coagulatum in quibuſdam videri: Quocirca de hoc metallo non immeritò nunc dicturi ſumus, nempe ut primò demonſtremus, quomodo ad aurum inde producendum quamplurimi reſpexerint; Deinde quatenus ad Tincturam, ac tertiò, quomodo ad uſum medicum adhibuerint, aut adhibere poſſint, & quid inde contigerit aut ſperandum ſit.

De I. Quomodo Saturnus in aurum reduci tentatus ſit.

Philoſophi in ſcriptis ſuis ſæpenumero Saturnum vocantes aurum leproſum & immaturum, occaſionem præ-

buerunt curioſis artis chymicæ inquiſitoribus, vt conati ſint eum in aurum reducere coctione maturiori adhibitâ, nec non purificatione qualicunque, idque vel in fuſa ejus maſſa ſeu ſubſtantia, vel in minera puriori & nobiliori, vel in Mercurio inde par artem facto: Qui in ſubſtantia; per ſe, vel cum aliis id perficere tentarunt: Per ſe, hoc eſt, abſque peregrini additione, ſi qui plumbum tractarunt, ignis calore uſi ſunt, eóque vel leni & ejus liquefactionem non cauſante, vel fortiori æquante, vel fortiſſimo, longe ſuperante. Qui leni calore uſi ſunt ſive in limaturis, pulveribus, aut ſubſtantia diſcontinua fuerit, ſive continua & dura, operam omnem impenſam luſerunt, etiamſi longo tempore hiſce ovis incubarint? Ratio eſt, quia vis agens ibi non eſt in plumbo, niſi ſulfur illud comburens & fuſum, quod non agit, niſi longiſſimo tempore, accedente calore moderato extrinſecus quemadmodum contingit in terræ viſceribus circa mineras, non circa corpus fuſum plumbi: ſi quoque extra terræ clauſtra fuſo jam metallo hoc fieri poſſit (quemadmodum Iſaac fide dignus author annotat,

Leni calore.

plumbum ex antiquiſſimo tecto, fortè bis mille annorum detractum, in ceruſam argenteam ſeu argentum finum magna ſui parte, vi & calore ſolis, pluviarúmque lotione, commutatum fuiſſe) tamen aliquot ſeculorum tempus requireret & lentiſſimum calorem, quæ duo homo neutiquam ipſi præſtare poteſt, etiamſi Mathuſalem ætate vinceret: Item ſtatuendum de mineris plumbi quibuſcunque, quibus nonnulli non abſque evidenti & profunda ratione per multos inhæſerunt annos. Quod ſi calor adminiſtretur Saturni mineris, vel corpori, liquefactioni æqualis, illæ ſenſim effumant ſulfur, hoc in fæces ebullit, utroque modo in ſubſtantiam terream ſive longo, ſive breviori tempore fit tranſitus, quâ utilitate, novit, qui expertus eſt. Citiſſimè verò corrumpitur plumbi ſubſtantia ab igne fortiſſimo, utpote ejus frigidæ naturæ adverſiſsimo. Cauſa cur plumbum ignibus deſtruatur, multiplex. Prima & præcipua, quod abundet ſulfure illo communi combuſtibili & comburente, quod cum vehementiori igne inflammetur, conſumit ſuum ſubjectum ſeu ſocium ſibi adjun-

Calor liquefactionis.

Igne fortiſſimo.

Cauſæ combuſtionis plumbi.

ctum, nempe argentum vivum, idque contingit vel magis vel minus in omnibus imperfectis, præcipuè in plumbo propter ejus abundantiam: ſecunda cauſa eſt poroſitas quam efficit hoc ſulfur in corpore, cui inhæret. In hanc enim flamma & calor ingreditur & devaſtat quicquid ibi invenit calori non aſſuetum, quale eſt tertiò argentum vivum adhuc crudum, frigidum & humidum, ideóque à ſuo contrario, ut inimico, abhorrens & mutationem ſui patiens. Et ſi enim ponderoſum ſit, non tamen id ratione magnæ argenti vivi copiæ, ſed potius cruditatis accidit; quia ad auri ponderoſitatem neutiquam attingit, cum eo duplo ferè levius, quo ad eaſdem quantitatis dimenſiones, habeatur. Ex his cauſis Saturnus igne forti non conſiſtit, ſed minuitur, hoc eſt, à natura ſua aquea fluente & metallica, in terream quandam, vitrificationi proximam ſubſtantiam convertitur, ut per experientiam patet omnium eorum, qui Saturnum vel dimidià horâ vitrificatorium opus præparant, & in vitrum reducunt. Cur verò Saturnus ſit reliquorum metallorum tam perfectorum, quàm imperfectorum, exa-

minator, & quaſi tortor eorum, ut veluti innocentium conſtantiam, horum, ut reorum crimina probet & atteſtetur, cauſa ex dictis in propatulo eſt. Piſces, ſi in propria ſua aqua, velut oſtrea in contento ſucco, bulliant, nihil quid præter naturam patiuntur, quod ſit peregrinum illis: Ita de auro argentóque cogitandum, quæ in Saturno, tanquam aqua vel ſucco ſuo, ſuper teſtam & cineritium coquuntur, non quo coctio illis aliquid maturitatis aut qualitatis addat, ſed ſaltem ut crudum ſuperfluum, ſeu humores frigidiores ſecedant vel evaporent, hoc eſt, metalla imperfecta & impura: Accedit calor, non ſolùm conſumens exſiccando humidum immaturum, & ſegregans & movens ad latera heterogenea, congregánſque homogenea & retinens. Vnde Saturnus in cineres imbibitur à calore ſupernè urgente inferius vel ad latera repulſus, ut refrigerium ſuique ſalvationem acquirat, ex naturæ inſtinctu, quo gravia tendunt deorſum, & quodlibet, licet inanimatum fugit à ſuo contrario (ceu patet ex aqua frigida in fornacem ardentem infuſa) qui dum fugit, ſui ma-

ximè ſimile ratione ſulfuris admixti, æs ſecum abluit, velut aqua trahit oleum & perfecta relinquit in medio, utpote calori ejuſmodi aſſueta & amica. Cur verò Saturnus nec Iovem nec Martem ſecum rapiat, hoc fit per accidens: Iovem, quia hic approximat æquato & ſubſtantiam habeat mediocriter puram, ſed valdè infirmam, Martem, quia hic ipſi non commiſcetur, & maximè ſit impurus. Non pauci Saturnum per calcinationem reducunt in pulverem, idque vel abſque additione vel cum admixtione ſalis alteriúsve rei peregrinæ ad corrodendum vel abſtergendum appoſitæ: Ex qua operatione peracta tandem lythargyrium rufum vel ſubalbum, in igne vitrificatoriam ſolummodò transfuſionem habent, non aurum, à quo longiſſimè abeſt. Qui in initio vel poſt addiderunt acetum, fortè ad ſolvendum vel incærandum, ut reciperet amiſſam humiditatem, vel melius purgaretur à ſuperveniente ſulfure comburente, ceruſam albiſſimam quidem acceperunt, ſed ad argentum & aurum omnino inutilem ſubſtantiam. Ex hac igni fortiori expoſita minium, vel imbibitione cum

Lythargirium.

Ceruſa.

Minium.

Cauſa cur videatur plumbum coagulari poſſe in aurum.

urina, vel cum aliis alii colores, non aurum nec argentum reſultant. Cùm verò plumbum ſit ex Mercurio & ſulfure per naturam compoſitum, veriſimile videtur, quod poſsit ſulfure per ignis gradus combuſto & ſeparato arte ejus argentum vivum maturari & reduci in aurum; ſiquidem à frigido & humido non detur tranſitus ad calidum & ſiccum, niſi per medium æquatum, quod nec frigidum nec humidum nec calidum, nec ſiccum ſit. Nam demus, quod in minera vel ſubſtantia plumbi ſit prævalens humiditas cum frigiditate juncta, quæ poſt percoctionem vel calcinationem cum igne convenienti vertatur in ſiccitatem cum caliditate, comitante; inde rationabile eſt, quod in eo puncto, quo humiditas in ſiccitatem & frigiditas in caliditatem vult tranſire, fiat prius æquatio omnium qualitatum; quæ eſt auri temperies, & per conſequens, plumbum prius vertatur in aurum quam in lythargyrium aut aliam ſubſtantiam ſiccam & calidam. Verum cum experientia huic ratiunculæ reclamet, ſufficeret hæc intelligenti, ne in ejuſmodi errores incideret unquam, niſi cognitum

habêremus, in his nullum adeo circumſpectum eſſe, quin ſpem ſibi faciat eventus melioris & optati, modo vel minimum, quod arrideat, animadverti poſsit: Idcirco cauſam evidentiorem tradenius cur non hoc modo æquatio fiat in aurum, ſi calcinetur plumbum quocunque igne, vel lento vel forti, cum vel abſque additione rei alterius, ſed in ſubſtantiam ab auro remotiſsimam abeat. Cauſas corruptionis plumbi in igne jam ante expoſuimus, quæ tum ſunt veriſsimæ, hinc ejus argentum vivum omni humiditate radicali ſpoliatur & vitro fit proximum: Æquatio autem contrarium qualitatum non accidit, quia non fit totalis ſeparatio ſulfuris comburentis, ſed ſaltem vnius partis, cum forte duæ ejus partes maneant in compoſito, nec ſint ſeparabiles, quia ob terreſtreitatem aliquid fixitatis in ſe habent, non quidem aureæ ſed terreæ viſcoſæ, mox vitrificandæ. Et quo major pars ejus ſulfuris ſit combuſta, eo magis exiccatum & depravatum eſt argentum vivum: Vnde hoc ex ſua natura in terram mutatum, à fæcibus ſulfuris facile in vitrum reducitur, quod eſt omnium compoſito- *Cauſa, cur id fieri nequeat.*

rum ultimum: Quod ſi per artificiū ignis vel alium modum concedatur ex plumbo poſſe omne ſulfur ſegregari, neque tum ille Mercurius purus in aurum ęquari poſſet, quomodocumque tractetur. Quia in auro ſunt omnes qualitates quatuor contrariæ in ſummis gradibus, qui ſummi gradus non poſſunt hac ratione in Mercurium frigidum & humidum introduci, cùm quantum ſiccitatis & caliditatis accidentalis non eſſentialis, huic Mercurio acquiratur, tantum ille amittit humiditatis & frigiditatis, donec omnem humiditatem & frigiditatem amiſerit, & earum vice ſiccitatem & caliditatem poſſederit; atque hinc nulla fiet æquatio qualitatum, & per conſequens nec aurum. Idem fieri videmus in aliis operibus: Calx calidiſſimæ qualitatis fit ex lapide ſua natura frigido. At poſt combuſtionem non ille lapis eſt calidus & frigidus ſimul: ſic aqua, quæ prius eſt actu frigida, poſt admotionem ad ignem in diſtillatione vaporoſa actu calida exiſtēs non retinet de utraque qualitate, ſed una abit, altera adveniente: ſic quod de actu hic dicitur, idem de potentia, & quod de duabus, idem & de quatuor qualitatibus

tibus compoſiti intelligendum eſt. Nonnulli conſiderantes plumbum vel in ſubſtantiam malleabile congelatum vel in minera etiam clara exiſtens nimium ſulfuris combuſtibilis per ignis calcinationem vix unquam ſegregandi continere, alias invenerunt vias ad naturam ejus purificandam, & à fæcibus ſulfureis ſegregandam, nempe reducendo id in Mercurium currentem, quem ſi habeant, promittunt ſibi ejus coagulationem in aurum per ſe vel cum auro juncti poſſibilem. Cùm enim ejuſmodi coagulationem Mercurii propter hujus cruditatem fieri non poſſe animadvertant, quia natura in hoc nullam, in plumbo verò aliquam coagulationem ſua ſponte inceperit, ideóque hoc magis naturæ conſentaneum, quàm illum opinantur. Nam quod philoſophi dicunt, incipiendum eſſe arti, ubi natura imperfectum reliquit, id non abſque ratione de plumbo intelligunt, in quo ſit incepta digeſtio, mollities & mediocris cruditas, ut facilè tractari & compleri poſſit artificio, aliàs per naturam relictum imperfectum: Cúmque metalla reducenda ſint in primam ſui materiam, hoc

De reductione plumbi in Mercurium.

eſt, in Mercurium, à quo ducunt originem, hinc plumbum neceſſario ſtatuunt in Mercurio currentem reducendum eſſe. Hoc ut perficiant, multas inierunt vias, quæ omnes duplici modo differunt, nempe ut vel putrefactione & abſterſione, vel ſolutione & adjectione Mercurii vulgi, id tentarent. Primo modo, quidam ipſum plumbum diſtillare conati ſunt, exiſtimantes Mercurium ejus in liquefactione aſcenſurum, & ſulfur in fundo manſurum, ſed illis illuſit vana opinio, cùm contrarium prorſus acciderit, nempe quod ſulfuris aliqua pars aſcenderit citrino colore, argentum vivum verò cum majori ejus parte manſerit in fundo, tandem in pulverem aut lythargyrium redactum. Alii per deſcenſum idem tentârunt, quaſi voluerint plumbum in laminis calci vivæ ſuperpoſitum, ſtrato ſuper ſtratum facto; & igne ſupernè agente argentum vivum ejus cribrare vel colare per calcem vivam in foveam ſubiectam. Atque hoc inſtitutum eventu & ſpe ſua fruſtratum fuit. Cauſa verò, cur argentum vivum nec aſcendere, nec deſcendere potuit, relictis ſuis fæcibus ſulfureis & ter-

reſtribus, hæc eſt: Quia in fundo naturæ hæc duo arctiùs colligata ſunt, quàm ut artificio, quod igne perficitur, ſeparentur ab invicem. Vnde medio aliquo abſterſivo vel ſeparativo extraneo egent, vel argenti vivi homogeneo collectivo, eóque vel crudo vel maturo, & agente. Media ejuſmodi abſterſiva habentur ſales, armoniacus, turturi & his ſimiles. Collectiva ſunt Mercurius vulgi crudus, vel ſulfur aureum, fixum & maturum. Hinc alii aſſumpſerunt dictos ſales, cúmque iis miſtis plumbum putrefecerunt per certum tempus, poſt quod diſtillârunt, & Mercurium, ut dicunt, extraxerunt. Secundò per ſolutionem plumbum in Mercurium reducitur, ſi, ut quidam experimentati ſunt, ſolvatur in aquam fortem, & Mercurio vulgi adjecto, ſeparatur ejus Mercurius ſenſibiliter. Multi alios invenerunt modos ad eandem intentionem, quas prætereo. Horum omnium etſi labor non videatur malè collocatus, cùm ex metallo non metallum, ex non Mercurio Mercurium fecerint, tamen vereor, quod non utilitas aliqua, quoad ejus coagulationem in aurum, expectanda ſit:

ſive enim aurum miſceatur, vel amalgametur cum eo, & coquatur, quicquid nonnulli jactent, ſive per ſe coaguletur lento igne, impoſſibile eſt, quod ſulfuris aurei qualitates agentes introducantur in illud: Nam quicquid de ipſo plumbo aut minera ejus, nec non de Mercurio antehac dictum eſt, cur illa in aurum non coagulari poſſint, eadem cauſa & hic obſtat, licet in Mercurio non ſit tanta ſulfuris comburentis quantitas. Qualitatibus enim patientibus deſtructis, introducuntur illi agentes qualitates, & non fit æquatio omnium contrariarũ in eodem compoſito remantium, quod fieri debebat, ſi aurum futurum ſit, ídque in ſummis qualitatũ gradibus, ut ante dictum. Eandem ob cauſam nec aurum amalgamatũ cum Mercurio Saturni eum in aurum perficere poterit, cùm aurum nihil habeat ſuperfluum in ſua perfectione, ſed ſimpliciter ſit perfectum, ideóque de ſuâ ſimplicitate ſi aliquid alteri Mercurio concederet, ipſum egeſtate laboraret, prout Bernhardus Comes optimè diſſerit. Ne quis autem exiſtimet, Mercuriũ plumbi qualicunque modo coagulatum in aurum nobilitari, cùm contrarium re-

Cauſa cur Mercurius Saturni in aurum nequeat coagulari.

ipſa experietur, nempe ipſum in terram inutilem degenerare. Quod ſi verò à ſulfure auri fixo & agente, hoc eſt, calido & ſicco, tingente Mercurius plumbi coaguletur, nullum eſt dubium ex eo, ut & aliàs aurum perfectiſſimum fieri poſſe, de quo hic non eſt diſſerendi propoſitum. Tantum ſufficiat de primo Saturni uſu ſeu in aurum coagulatione, ſequitur de præparatione ejuſdem ad tincturam.

De II. Vſu Saturni ad Tincturam.

Pauciores, ut opinari quis poſſet, quæſiverunt tincturam fixam & ſpiritualem in Saturno, cujus corpus ſit facilis corruptionis ſeu deſtructionis in igne & aquis corroſivis multique ſulfuris comburentis & terreſtris particeps, nihilominus, cum judicia operantium ſint diverſa, ſcriptorúmque ſententiæ diverſiſſimè accipiantur, quicquid alii de propinquitate plumbi & auri inter ſe intellexerunt & ad coagulationem unius in aliud retulerunt, quidam ad tincturam ex plumbo conficiendam, interpretati ſunt: Acceſſit, quod à Philoſophis paſſim inculcetur, æs & plum-

bum eſſe lapidem pretioſum & in plumbo eſſe maſculum & tincturã utrámque tam albam quam rubrã, ut monſtrat ceruſa & minium, dummodo debitè inde educatur: Hinc ſecundùm ſonum verborum conjunxerunt æs & plumbum, vel hoc & arſenicum aut acetum, & nihil tale repererunt, artémque vel abjecerunt omnino ut impoſſibilem, vel imperfectam relinquere coacti ſunt. Quidem ſubtiliùs operari volentes, atque in hoc Iſaacum imitati, Saturnum variis præparationibus ad puritatem & ſubſtantiæ tenuitatem quandam reducere voluerunt, ut in metalla radicaliter ingredi, iiſque adhærere poſſet, eundem ad nihilum ſeu fæces inutile redegerunt, quomodocunque animam Lunæ vel Solis immittere, vitámque tribuere illi tentárint. Verùm hæc opera omnia eſſe fruſtranea experientia ſingulorum tandem licet rariùs & non niſi poſt multorum ſumptuum interpoſitionem convincit. Quomodo enim quid boni fructus ex arbore mala expectabis. Quomodo ex colocynthide mel, aut ex fimeto fætido roſam ſuaviſſimi odoris elicies? ſanè vix unquam per artificium,

licet natura ſuis arcanis operationibus utrumque educat, nempe ex amaro dulce, & ex fœtido ſuave. Nam quid uvis, pomis, pyris & ejuſmodi immaturis fructibus palato ingratius? quid iiſdem calore Solis maturatis acceptius & mitius? Quod ſi ars quoque naturæ manum vicariam & quaſi obſtetricem præbeat, videmus ad effectus admirandos, ad quos alias nunquam perveniret, eam contendere & aſpirare. Annon ex ſylveſtri arbore, cujus fructus ſunt acerbiſſimi & eſui inutiles, circa truncum abſciſſa & ramo ſeu ſurculo nobiliori eidem inſito coaleſcit genus arboris, ſurculo, non radici ſimile & fructibus correſpondens nobilioribus?

Ad hujus exempli imitationem quidem conati ſunt Saturno aliquod germen inſerere & compoſitum ſoli ſeu calori philoſophico committere, donec ſatis maturum ſit, & abſque dubio votum ſuum obtinuerunt: Verùm in electione horum mineralium cautum quem eſſe debere admonet bonus ille ſenex Morienus, cui ut morem gerat, æquum eſt. Nos ut & hoc loco Indicem, qui in triviis meliorem ſemitam hæſi-

tanti oſtendat, ſtatuamus, figuram adjicimus ſequentem:

SANGVINIS DRACONIS deſcriptio.



In tertia illa mundi parte, Africa dicta, ubi maximi ardores & aquarum penuria, ideóque regiones ſunt latiſsimæ quidem, ſed non ſatis frequentes incolis, iiſque potiſsimum nigricantibus & barbaris populis: econtrà feris horridis & monſtroſis partim, partim venenoſis hominum generis infeſtis abundant, quales ſunt tigrides, pardi, leones, iisque ſimiles, quarum ad fontes aquarum dulcium, rivóſque conventu & mutuo inſultu ſemper aliquid novi generis ſuboritur diverſi omnino in ſpecie à ſingulis ſuorum parentum: Hic, ut cætera prætereamus, elephas viſitur ſingulari, ut corporis magnitudine, ſic prudentia conſpicuum (cui nonnulli intelligendi, loquendi & ſcribendi aptitudinem, humanæ proximam, attribuunt) inter reliquas beſtias primum tenere locum: Cui, ut nihil eſt ab omni parte beatum, continuò ſe invidum & hoſtem internecinum draco prægrandis offert. Hic ut tam vaſtæ beluæ, cui viribus longè ſit impar, damnum ingerat, non audens aperto Marte cum ea confligere, rem ex inſidiis aggreditur hoc modo. Obſervat quâ viâ elephas aquatu rediturus ſit,

eandem, ubi arctior eſt, præoccupat, ſeſéque inferiori loco abſcondit, donec elephas aquis prætumidus accedat, cujus pedibus nexus & gyros ſuo corpore ſinuoſo injiciens ſanguinem libat & ebibit. Tandem ubi viribus defecerit elephas, draconem circum ſeſe in nodum reflexum, jam cruore ſaturatum, déque victoria contra hoſtem obtenta ſecurum, ſuo pondere in terram corruens, ipſa morte vindictam ſumens conterit & extinguit, omni regurgitante & offuſſo ejus ſanguine, qui poſt DRACONIS (licet potior pars elephantis ſit) dicitur, ad medicinam aliáſque neceſſitates hominum non inutilis. Draconem hunc, cujus ſanguinis ad medicinam philoſophicam aſſumitur, oportet quem probè agnoſcere, ne terreum quid, ſeu, ex terræ fundo depromptum, aut aliud haud conveniens in ejus locum ſubſtituat. Eſt autem ex eo genere, quod Saturno, Apollini, Æſculapio & Mercurio aſcribitur, quod Cadmi ſocios interfecit, & ab eo interfectum, quod vellus aureum obſervavit, quod pomis aureis Heſperidum hortis invigilavit, quod Geryonis Tricorporis boves puniceos cuſtodi-

vit, Typhonis & Echidnæ ſoboles: Saturno appropriatur dum capite caudam apprehendit, non quaſi tempus ſignificet, ſed quod in ſe redeat, & ex duobus, nempe capite & cauda unum quid fiat: Appollini affingitur, quia ab eo ſagitis occiſus putatur Typhon, qui putrefactus Python dicitur: Æſculapio, quia medicinæ revivificativæ & juuentam reſtaurantis Draco ſymbolum eſt & ſubjectum proprium Mercurio, cujus caduceo appingitur duplici, maſculi & fœminæ forma, quia conſtituit duplicem Mercurialem ſubſtantiam Hermaphrodyticam contrariarum operationum, nempe quod durum mollificet & molle induret: Cadmi ſocios interfecit, quia idem ſunt re, quod hic elephas, & à Cadmo interficitur vice verſâ, quia elephas draconem moriens, occidit. Reliqua omnia, ut etiam jam dicta, petantur ex noſtris Hieroglyphicis, ulterius ibidem explicata, quæ lucem hiſce dabunt clariſſimam.

De III. Vſu Saturni ad Medicinam.

Si conſideremus jam ſubſtantias ex Saturno productas ut ſunt lythargyrium, ceruſa, minium & ejuſmodi, animadvertemus eas corpori humano interius aſſumendas plus noxæ, quam utilitatis allaturas, cum eædem inter venena potiùs, quam medicamenta ponantur: Cauſa verò harum nocuæ qualitatis videtur eſſe manifeſta, non quia per ſe ſint venenoſæ, ut arſenicum, ſublimatus & ejuſmodi corroſiva, nec ut venena animalium, ſed quia venas & vias corporis humani obſtruant, & inimicam cordi qualitatem, frigidam & ſiccam communicent. Quomodocunque itaque plumbum præparatum per calcinationem ab igne factam non ſolùm non amittit ſuam frigiditatem, quam ante habuit, ſed quoque ſulfure ejus calido combuſto magis auctam poſſidet, ut pote jam factum præterea ſiccum, quod eſt terrę proprium. Eſt quidem plumbum ante combuſtionem diverſarum virium, ratione argenti vivi, frigidi & humidi, ac ſulfuris calidi & ſicci, in una mixtione

exiſtentium. Nam uſu cognitum eſt, quod non ſolùm repellat ſanguinem ſua frigiditate, ſed etiam diſcutiat caliditate, ut apparet in gangliis aliisque partibus ſubtumidis: adhæc humectat ſuâ aqueâ humiditate, & exiccat terrea qualitate: ratione humectationis exiccatis locis adhibetur, ab argento vivo in unctum: ratione exiccationis, præſertim calcinatum, ulceribus humidis, imò & cancroſis, ut lamina ejus cancro non ulcerato & labiis (quod miremur) humanis ne nimis excreſcant. Cicatrizationem quoque adjuvat, ſi debitè applicetur vel inſeratur locis eam requirentibus. Nihil hic dicemus de ſale Saturni, aut ſaccharo ex minio parato, hiſce ſimilibus, quia ſunt ejuſdem originis, qualitatis & operationis: Vnicum nobis ex Saturno remedium interius aſſumendum innotuit utiliſſimum, ſi mineræ ejus puriſsimæ Lunari fœtu prægnanti per ignis gradus fixatæ & purificatæ Mercurius vaporabiliter miſceatur, ita ut ex duobus Mercuriis vnum quid fiat citriniſsimum, quod eſt medicamentum admirandarum virium in morbis quibuſcunque chronicis & humoralibus

fœliciſſimè uſurpandum, alibi à nobis Cælidonia, dictum, propriè minerale Panochymagôgon appellandum, de quo videndum ſuo loco.

CAP. III.

De monte Iovis.

INTER omnes Deos gentilios Iupiter primatum & præeminentiam obtinuit, quod nec de planeta, nec de metallo ejuſdē denominationis cum eo ſtatuere licet: Vnde qui Iovis illius Olympii dicti velut Divi, facta, aut ſtellæ erraticæ inter Saturnū & Martem in cœlo elevatæ curſum & operationes metallo quod ſtannum propriè appellatur, aſſignare velit, in rerum judicio & comparatione nomine aberrare invenietur Vix enim quicquam hæ duæ ſubſtantia cum fictitio illo Iove, qui adulter, & neſcio quibus non vitiis inſignitus à poëtis fingitur, commune habent præte nomen, quod tamen huic metallo mo re chymiſtarum, impropriè attribui

tur: Iupiter planeta calidus & humidus præſumitur, ideóque Dominus humanæ vitæ, quæ in calore & humido conſiſtit: An earundem qualitatum & virium ſit metallum ejus nominis, dubitari poteſt: Nihilominus cum ſtannum & uſu & æſtimatione vulgi in ſatis magno habeatur pretio, de eo ſecundùm inſtitutum ordinem, nempe primò de ejus coagulatione in metallum perfectum, deinde quomodo à quibuſdam ad tincturam inde conficiendam ſit adhibitum, tertiò de uſu ejus in medicina, agemus.

De I. Vſu Iovis ad coagulationem in metallum perfectum, argentum ac aurum.

Geber multis in locis, ut & author ſpeculi Alchymiæ, Iovem enumerat proximè poſt perfecta metalla, ſi conſideretur ejus ſtatus oculum, nempe puritas argenti vivi, ſplendor, cum Mercurio aſſimilatio & æquatio componentium, quæ omnia de nobilitate ejus præ cæteris imperfectis atteſtantur: Ad hæc

in opere Philoſophico proximum à Saturno locum occupat, qui propter colorem poſt nigredinem ſubalbeſcentem ſeu cineritium eidem aſcribitur: Quibus indiciis quidam ducti ſtannum ex plumbo loto purificato aut adjecto Mercurio educere conantur, conſiderantes horum duorum affinitatem & convenientiam; Alii argentum ex ſtanno, à quo illud parum abeſſe putant: Quod ſi ita ſe haberet, tum ex Saturno facilis eſſet tranſitus ad Lunam per viam Iovis, & inde ad Salem. Verùm perſuaſio rei, quæ non eſt, hic prævalet: quemadmodum patebit ex natura & proprietate Iovis collata cum cæteris, Saturno & Luna: Iupiter ſplendet mediocriter propter argentum vivum, Lûnæque proximus videtur, Saturnus nigricat in opere & valdè infectus apparet, ut pote lividus & terræ propinquus. Luna verò in omnibus notis perfecta & conſtans viſitur, clariſsima & alba, ignitionem patiens moderatam, antequam liqueſcat, in cineritio permanens: quæ Iovi non conveniunt, niſi ex parte, Saturno autem nullo modo. Nam etſi Iupiter, ut dictum, ſplendeat, Lunæ tamen radiis mul-

tum

tum concedit: Adhæc licet Iupiter non ita facilè cedat in cineritio, nec mox ſegregetur ab argento aut auro; tamen mox in calcem ſub nigram comburitur & humiditate ſuà radicali privatur, ut in reductione ejus in metallum, facilimè in vitrum abeat, quod non contingit ullis ex perfectis: Cum itaque dicitur, quod Iupiter in cineritio maneat, id intelligendum, in igne leviori, non examinationis, & quod non facile à perfectis ſeparetur ſua ſubſtantia illæsâ: Namſi centum partes Iovis cum una Lunę ſint fuſione commixtæ, quæritur quomodo arte hic Luna ſeparetur à Iove, ut hic non comburatur: ſi enim Iupiter in tantâ quantitate comburi deberet, videtur major futurus labor & ſumptus majúſque diſpendum in Iove perdendo, quam utilitas ex Luna ſalvata acquirenda. Adhæc combuſto Iove in tanta copia cineris ejus, non facile indè Lunæ tantillum ignibus exprimi poſſet, niſi fluxu adhibito: Vnde labor & ſumptus longè excederent ſperatum pretium: Si verò una pars Iovis juncta ſit centum partibus Lunæ, tum combuſto Iove ſalvatur Luna facilimè: Inde quo plus Iovis

ſit & minus Lunæ in mixtura, eo difficilius videtur & minus operæ pretium. Non autem me latet, artifices inveniſſe modum per deſcenſum, quo utrumque metallum, Iovem & Lunam, magna ex parte ſeparando ſalvent, prout neceſſum eſt fieri in concrematione ædium, cum omnia metalla imperfecta & inter hæc abundantius ſtannum, fluxione permiſceantur: Ex quibus apparet, Iovem reverà in cineritio non durare, ſed comburi, licet argento & auro profundiùs, non tamen in radice, adhæreat: Cauſa hujus adhæſionis licet petatur ex æqualitate partium componentium, hoc eſt, ſulfuris & argenti vivi, quorum unum in viribus non excedat aliud (de vulgaribus intelligendo) tamen potiùs ex argenti vivi natura & copia deſumenda venit. Cùm enim aurum & argentum maximè conveniant cum Mercurio puro & claro, qui minùs ſulfuris admixtum habeat, ideò Iovi præ Saturno, Venere & Marte, proximè poſt ipſum Mercurium aggregantur, quaſi inſeparabiliter, quod inde apparet, quia ſi Mercurius vulgi fugam amiſiſſet, & malleabilitatem & conſtantiam habe-

ret, ut ſtannum, tum argento & auro admixtus, nullo medio inde ſeparaŕetur, hoc eſt, nec ſuperiùs abiret per fumum, nec inferiùs ullo artificio. Cùm itaque ſtannum proximè accedat ad Mercurium, quem ſuo ſplendore, nec non ſtridore ſub dentibus ſatis oſtendit, tunc difficiliùs à perfectis ſegregatur. Nam ſequeſtrator ille & examinator Saturnus, cùm multum habeat ſulfuris combuſtibilis admixtum ſuo argento vivo, cogitur tergum dare ignibus deſuper accenſis, atque ita ſe inſinuet in cineritium pro ſui ſalvatione, ne abeat in non metallum ſeu lythargyrium aut vitrum, in qua fuga ſulfur ejus trahit argentum vivum ſuum proprium, nec non cognati metalli, cupri aut latonis, non autem ſtanni, quia ſtannum plus habens Mercurii clari, quàm ſulfuris terrei, hinc non eſt obediens Saturni rapacitati, ſed manet potiùs ſupra cineritium apud perfecta, tanquam cognata ſibi, ratione Mercurii, quàm imperfecta dicta, ratione ſulfuris, idque ex ſola naturæ ſimilitudine & appetitu, qua aqua aquæ, & omne ſimile aggregatur ſuo ſimili, non ex delectu aut ſenſu, qui inanimatis

non ineſt. Cauſam jam dictam multi non intelligentes, ac interim Iovis cum perfectis ſimilitudinem conſiderantes, non dubitarunt hunc per artem ad ea adducere coagulatione, aut potiùs calcinatione & fixatione : ſi enim illud, quod ſummam Iovis perfectionem impedit, quo minùs ſit argentum & aurum, tollatur, putârunt ſua ſponte ad eam rediturum : ſunt autem ex evidentioribus impedimentis in Iove, ſulfur comburens & fœtens, ſtridor ſub dentibus, ponderis defectus, mollities, ſeu ignitionis convenientis fuſionem præcedentis abſentia, malleabilitas vitioſa, ſeu frangibilitas, & minor tenuitas ſubſtantiæ, idque ad Lunam, ad Solem verò, præter hęc omnia perfectiora, citrinitas. Hæc itaque per artem removeri poſſe, & argenti aurique proprietates induci ſtanno, iidem omnino poſſibile exiſtimârunt. Media, quibus hæc perficere tentârunt, fuére partim ſolus ignis, partim ignis cum ſalibus aliiſque adminiculis, aut aquis corroſivis. Qui ſolo igne, eundem proceſſum adhibuerunt, quem alii in Saturno aut Mercurio, nempe ut vel lento calore coagularent, & ſuperflua

Solo igne.

ab eo ſepararent, vel liquefactione adhibita, vel igne fortiſſimo. Verùm his idem contigit, quod illis, nempe opinio fruſtrata, non ex voto ſuccedens. Aut enim ſtannum manſit, ut priùs, aut in calcem redactum, aut in vitrum, nec ulla reductio facta eſt in argentum aut aurum. Cauſa eſt, quia natura non admittit ejuſmodi ſaltus, nec violentiam, ut quid reducatur in argentum aut aurũ, abſque argenti aut auri formæ introductione, quæ forma cùm non ſit in ſtanno ante, nec poſt manente illæsâ ejus ſubſtantiâ immitti potuit, prout ſub Saturno prolixiùs demonſtratum eſt. Demus, quod lenta coctione Iupiter induretur magis, imò & à ſulfure ſuo per lotiones adhibitas artificiales purgetur, ut Lunæ ſplendorem & formam externam referat, verùm propterea non erit argentum verûm ſed ſophiſticum, quod etſi examen cineritii ſuſtineat, tamen reductionem poſt ſolutionem ab aquis fortibus vix patietur, nec in cæteris proprietatibus, pondere, ignitione, fuſione, malleabilitate & ſimilibus erit idem cum argento naturali. Qui ſales, vel aquas corroſivas adhibuerunt, eodem *Igne cum ſalibus.*

modo & citius Iovis ſubſtantiam corruperunt potiùs, quam perfecerunt. Ratio eſt, quia exiccando ejus propriam humiditatem eum ad vitrificationem magis promptum reddiderunt, ut ab experimento patuit. Nonnulli Mercurium inde elicuerunt, prout ex Saturno diverſis operationibus, quo multum ſe perfeciſſe gloriantur in tranſmutatione chymica, ſed ego non credulus illis, qui novi formam argenti aut auri non exiſtere in hoc argento vivo, niſi fortè remotiſſimè, unde nunquam per artem éduci poſſit. Ex bove, aiunt, poſſe fieri canem, mutationibus naturæ intermediis, nempe ſi bos à canibus devoretur, & in ſemen caninum transferatur, ex quo poſtea naſcatur canis. Verùm tale quid non expectabunt ex Iove, ut tranſeat in Lunam artificialibus intervenientibus concoctionibus. Cauſa eſt, quod ibi natura ſola, hic ars operetur. Ars autem naturam imitari, quantum poſſibile, aut potiùs, naturæ opera adjuvare debeat: ſic natura immittit formam rebus generatis, qua immiſsâ & perfectâ in momento fit generatio. Hoc modo ars in res per naturam habiles immittit

formam argenti ac auri, eamque de potentia in actum reducit, quàm in ſuo ſubjecto proprio ſeu Mercuriali ſubſtantiâ præoccupatam transfert in quodlibet argentum vivum, quod per æquationem mutat jn argentum & aurum actu, idque quaſi in momento, ſulfure omne extraneum ſeparando & comburendo. Tale quid cùm fieri nequeat ab arte circa Iovem, inde nec hunc abſque formâ illi aliundè immiſsâ in argentum aut aurum tranſmutari poſſe certiſſimum eſt. An verò talis forma peti poſſit ex eo, hoc eſt, an Iupiter in tincturam argentificam vel aurificam promoveri queat, de eo nunc latius inquiremus, nempe ſub ſecundo uſu.

De II. Vſu ad tincturam, de qua quæritur, An ex Iove fieri poſſit?

Non videtur conſequens; Iupiter non poteſt artificio ullo ad perfectionem promoveri per ſe; Ergo nec tinctura ex éo confici. Differunt enim longè inter ſe, in aurum perfici ſeu coagulari, & in tincturam ipſam reduci: Hoc quidem

longè quid precioſius ſuo cenſu habendum, ſed illud non minus difficile. Tinctura fortè abſque auro vulgi perficitur, aurum autem verum vix abſque tinctura: Vnde non ſatis eſt, demonſtraſſe, Iovem non figi in verum argentum vel aurum, ſed inſuper addemus, quid ſperandum de eo, quo ad tincturam. Iupiter à juvando dictus revera apud antiquiſſimos pro ſubjecto Philoſophico ex quo omnis tinctura petatur, habitus eſt, quod convincunt tot fabulæ de eo confictæ & introductæ, quæ videantur ſuo loco inter Hieroglyphica noſtra. An verò ſit ſtannum illud vulgare metallum non immeritò dubitari poſſet: Quomodocunque ſit, utriuſque partis & adfirmantis & negantis rationes veluti palmam, in medium producemus, ut quilibet diſcretus & intelligens mox veri imaginem videat & percipiat: Qui adfirmant, præter allatas ex antedictis authoribus, Gebro, Speculo & aliis authoritates nec non innummeras ex antiquiſſimis de Iove fabellas revera chymicas producunt ex rei natura, monumenta hujuſmodi, quod nimirum argentum vivum in Iove ſit, quo ad imper-

Rationes adfirmantium ex Iove tincturam fieri debere.

fecta, optimum habile ad figendum, quia non fixum, & ad tingendum, quia non tinctum particeps ſulfuris albi & rubei, mediociter præparati & fixi; Vnde non impoſſibile ſit ad ejus perfectam præparationem, fixationem & tinctionem pervenire: Quæ habilitas ſeu potentia cum non exiſtat in aliquo imperfectorum ſimul, niſi in Iove, cur non igitur in actum potius ex eo, quàm aliis deduceretur? Ad hæc Iupiter pro ſpirituali habetur corpore, facilis mutationis, boni ſplendoris, pauci ſulfuris terreſtris & quod ſit ad frangibilitatem pronum, imò & vitri fragilitatem; quæ omnia accidentia tincturæ veræ competunt, vel potius corpori, ex quo illa perficienda ſit. Alii his adverſa ponunt, Gebrum alióſque authores vetuſtiſſimos reſpexiſſe longè alium Iovem, nempe eum qui ſit Martis pater, ut & alium Saturnum, nimirum ex cujus genitalibus Venus pulcherrima nata ſit. Item & Martem alium, qui cum Venere concumbens ſit pater Harmoniæ copulandæ Cadmo: quæ omnia non poſſunt dici de vulgaribus metallis, ſtanno, cupro & ferro, Deinde, quod fixum non eſt natu-

Rationes negantium.

râ, non poſſe figi per artem, quod cum de Iove dici non poſſit, ab illis repudiatus eſt. Denique eſſe longè aliam rationem producendi tincturam ex ſua radice, quàm per ſolam ſeparationem ſuperfluorum. Opus quoque eſſe adjectione deficientium, in quibus duobus ſecundum Hippocratem omnis medicinæ ratio verſatur. Iupiter itaque ab his eâdem facilitate profligatur, quâ ab illis admittitur. Nos licet arbitri officium in tam difficili controverſia nobis non aſſignemus, tamen quid iudicatum ſit in ſimilibus quæſtionibus reminiſci poſſumus.

IDOLVM IOVIS.



Agatocles Siciliæ rex humili loco, patre figulo natus cum ſeſe à pleriſque ſub-

ditorum propter natalium ſuorum obſcuritatem deſpici animadverteret, auream pelvim, quâ diu uſus fuerat ad excipienda corporis recrementa, curavit in formam Iovis, ſeu divi maximè venerandi ab artifice converti & ornatiſſimo habitu effingi, eámque in ſummo templi loco poni; ad quam cum omnes ſingulari reverentia & pietate accurrerent, ínque terram proni procumberent; En, inquit Rex, vos veluti Iovem in hac forma aurea, quæ tamen ex quodam abjecti uſus vaſculo adeo excellens facta eſt adoratis & colitis: ſic mihi ex figuli filio facto Siciliæ regi debetis honorem & obſervantiam, quam hoc exemplo & invitamento ab iiſdem quoque obtinuit. Ad eundem modum etſi Iupiter manens in ſua priſtina forma viliſſimus habeatur, tamen ſi ad tincturam perfectam evehatur, non Iupiter amplius, ſed rex in omnes ſibi ſubditos, hoc eſt ex Mercurio generatos, futurus eſt. Nam forma dat eſſentiam rei, non materia, ſed hæc illam aſſumit & amplectitur, ut fœmina virum. Vt enim jam dictus rex in ſumma majeſtate ſedens coronâ aureâ decoratus,

in menſa patinas figulinas luto oneratas inter gemmas & aurum collocari voluit, ne ſcilicet unquam è memoria excideret, quá proſapiá & domo, veluti ex qua materia tanta forma ortum duceret, ita quoque forma philoſophica numquam ſuæ materiæ oblita, eam ubicunque viderit aut tetigerit, agnoſcet, & ad ſe rapiet, quoad poteſt, hoc eſt, in aurum convertet. Vnde patet, cum tinctura debeat agere in metalla imperfecta, atque illa ad ſummum metallicæ dignitatis apicem evehere, quod ex metallis, tanquam matrice extracta ſit, quæ deinde ſimilitudine ſuæ naturæ aſſultet & congregetur omni metallico generi, ídque, niſi ſit perfectum, perficiat. At quorſum hæc, inquies, anne ex his ſum certus, Iovem eſſe materiam philoſophicam? Reſpondeo, Iovem vulgarem eſſe nego, Philoſophis notum adfirmo. At qualis hæc? quæ in aquilæ forma Ganymedem in cœlum evexit, quæ in aurum mutata Danaæ in gremium decidit, quæ ſub forma cygni albi Lædam compreſſit, ex quibus paucis de ſimilibus quamplurimis iudicabis. Niſi enim ad volatũ ſit idonea, aut ad lapſum

ſuo pondere apta materia, non eſt Iovis nomine digna, cùm ne minimum juvare poſſit opificem, ſed plurimùm morari.

De III. Vſu ad medicinam.

Nunc ad medicinam quantum ſpectet Iupiter, breviter adjiciemus. Non quidem magni uſus eſt in medicina corporis, niſi quod vaſa ex eo ad medicamenta vegetabilium continenda fiant, ſed hoc potiùs ex perverſa multorum ignorantiâ contingit, qui Iovem dominum (veluti in Saturnalibus antiquis mos erat) ſervis ſuis ſervire non ſine uſu intelligentium jubent, cùm potius ille in medicamentum redactus optimum, ab his ſcilicet vegetabilibus in vitrum converſis tranſparens, contineri & ſervari deberet. Tanta eſt humani ingenii infirmitas & labilitas, ut quæ rara ſunt, minùs utilia præferat utiliſſimis in copia exiſtentibus, ut ex veſte judicet de corpore, ex corpore de mente. Cùm decora & aurea veſtis ſæpè abſcondat corpus deforme; corpus verò pulchrum non rarò mentem enormem, & vice versâ. Veſtem vilem detrahe Iovi, & habebis

medicinam optimam, dummodò hanc conjungas cum Iovis filio optimæ indolis, cujus nutrix Latona extitit. Oſiris, inquam, qui & Iupiter & Apollo & Mars, uxorem ducat ſororem Iſidem, Iunonem, Dianam & Venerem, ut ex duorum conjugio maſcula proles naſcatur. Alij calcinant Iovem, & conjungunt cum duplo ſublimati, diſtillántque per retortum unde diaphoreticum medicamentum conficiunt, ut ſperant. Verùm, qui his utuntur, ſint cauti, ne corrodenti veneno tunicam induant, quâ exutâ, hoſtem ſe potiùs vitæ humanæ, quàm amicum declaret.

CAP. IV.

De Monte Veneris.

INter metalla, quæ Deus uſui humano maximè inſervire voluit, eſt Venus præſtantiſſima, tam corporis pulchritudine exteriori, quàm virium robore firmiori prædita. Inde non ſolùm ad munera ſervilia adhibita eſt, ſed quoque nu-nis, pretio rerum mutabilium primitus

materiam præbuit, cùm æs ſeu pecuniæ ærea, Iano regnante, ut fabulantur, excuſſa ſit, ac Romæ longo tempore poſt argentum ſignatum legatur. Imò Tubal, ut in ſacris habetur, omnium primò ex venis terræ hoc rimatus in lucem protulit, & ad opera varia accommodavit. Et quod magis admirandum, ex ære ad dignitatem & precioſitatem auri accedente Salomonis tempore monumenta templi divini pulcherrima facta ſunt. Vnde & poſt apud Ethnicos æs Corinthium maximè præcellens in honore extitit, quod deleta à Romanis Corintho, quaſi toti orbi pro exuviis gratiſſimis & manubiis memorandis diſtributum eſt. An verò hoc fuerit præclarum aliquod genus latonis, vel metalli alterius, nunc ignoti, dubitatum eſt à quibuſdam, à nobis verò æri Cyprio, unde Venus Cypria & cuprum dicitur, in colorem aureum ſive optimum latonem tranſlato aſcribitur. Quomodocunque ſit, ſemper conſtat, Venerem fuiſſe in artis operibus, ſive ad chymiam, ſive ad alia, quæ cùm innumera ſint, nec noſtro propoſito accommodata (poſſunt enim unius rei eſſe diverſi fines

ſi fines & utilitates) ſaltem ex chymicis potiora, & quæ aliquid valoris & probabilitatis obtinent, ſeligemus, & in medium producemus, idque prædictâ methodo, ut triplicem æris uſum, nempe ad aurum, tincturam & medicinam, ordine declaremus.

De I. Vſu ad aurum.

Qui æs ejúſque naturam & proprietates explorant & conſiderant, magnam ei cum argento & auro affinitatem ut aſcribant neceſſum eſt, quódque ad utrumque ſit trāſmutabile: Cum enim ſpectent ejus tardam fuſionem, ignibilitate præcedente, malleabilitatem & extenſionem, nec non alias dotes, non dubitant, id ſulfure combuſtibili per artem detracto in argētum vel aurum transformare & convertere. Vnum enim ſulfur extraneum æri commiſtum efficit, quod non ſit argentū, quo ingenioſè ſeparato, nihil impedit, quin rediturum ſit ad Lunæ perfectionem: quod ſi tum magis coquatur, ad Solis ſublimitatem. Hæ, inquam, cogitationes non ſine ſubtili rationis diſcurſu à quibuſdam inſtituuntur, quibus ut ſatisfaciant, ad opus ſe accingunt: Verum

ut ingenioſus lector, quemadmodum promiſimus, & tractatus inſcriptio teſtatur; multum utilitatis ex hoc noſtro labore,& plus(abſit invidia verbo)quam ex centenis aliis deceptoriis libellis, reportet, naturam hujus metalli primò percunctabimur, deinde media & operationes, quibus hoc ad argentum vel aurum adduci poſſe prçſumitur,una cum cauſis poſſibilitatis aut impoſſibilitatis exponemus. Nolo autem hic inſiſtere diu aliorum teſtimoniis recenſendis, cum plæraque eorum non tantum veritatis, quantum ad ſpeciem oſtentationis habeant, & nos non ſolùm lectioni ſcriptorum, ſed & luſtrationi locorum nec non manuum labori incredibili circa has res longo tempore intenti, nónihil in his videamus & experti ſimus quod fortè ex librishaurire non licuiſſet, æs, prout in vicinis Germaniæ locis & amplius obſervavimus, ex diverſis mineris, quoad aſpectum eruitur, nonnunquam laborioſiſsimo artificio &ingenio, ut in primis Goſlariæ in Saxonia, ubi montis Rammi mineræ contritæ molis & aquis elotæ per plurimos ignes gradatim torrentur & exuruntur antequam

ad fuſionem metallicam præſtandam fiant habiles, ſive in cuprum malleabile & purum tranſeant; ut operatione completa decies octies ferè focos & ignes varios ſub dio, inque furnis, partim torrefactionis, exuſtionis, in maſſam lapideam reductionis, deſcenſionis, liquefactionis, probationis & ejuſmodi alios expertæ ſint & luſtrarint. Nam primò ut ex dicti montis (qui ferè totus intus mineralis eſt) ruinis duriſsimam pyritem ſeu lapidem exſcindant, opus eſt igne prævio flammali ad latera montis diſpoſito per noctem, quæ invulnerabilis alias durities ſaxi edometur & vincatur: Deindè mineræ ſelectæ & eductæ torrentur, ad ſulfur colligendum, (ut cap. 1. ſub uſu 1. ſupra innuimus) poſt id vitriolum macerantur aquis: Hinc molis contuſæ & elotæ novem ignibus ſucceſsivis torrentur; ut nimirum malitia fumorum venenoſorum & argenti volatilis adhuc (cujus ferè drachmas duas in centenario pondere latere dicunt) prædatorum ſenſim coërceatur, ad quod non nihil ſcoriarum aut fructorum ferri adjiciunt: poſt in lapidem nigrum reducunt, & tum ad

alias ignes tranſeunt hiſce operibus conſuetos. At quorſum hæc ? Vt ignari harum rerum intelligant, æs permultos labores ad metallicam maſſam ex quibuſdam mineris educi, & quod ars his quaſi ſtratagematis uſa naturæ Embryonem tenerrimum, argentum, ex hujus viſceribus eruere poſſit matre & fœtu illæſis: Deinde, quod ut infans, antequam edatur in lucem, excrementis, quibus immerſus eſt, ab obſtetrice liberatur, ſic metalla à ſuis fæcibus nocivis, antequam pura & tractabilia fiant, purgentur ignibus & aquis. Tandem cum jam deleta ſit maxima pars heterogeneorum à metallica æris naturâ, ignibus vehementiſsimis & fluxibili materiâ adjectâ, in corpus fluens, & metallicum reducitur, in quo eſt granum illud perfecti, per plumbum adjectum inde ſegregandum, furno, ut vocant, deſcenſorio, ac poſt per cineritium rurſus à plumbo, furno ſeu foco ſeparatorio: Quod ſi ejuſmodi fiant in magnis illis operibus, igne forti & artificio multis ex vulgo noto, quidni, ut ratiocinantur harum rerum curioſi, ſubtiliori ingenio æs tractatum in argentum & aurum tranſiret ? Nam

1. Æs ut tranſeat in argentum vel aurum quorundam opinione.

quod ſecundùm partem tranſmutatum eſt à natura, & ab arte, ne pereat igne, conſervari poteſt, nulla videtur cauſa obſtare, cur non ſecundùm totum in argentum migret, arte miniſtrante? Verùm alii reſpondent, veluti ſub Saturno retulimus, quod ars in hoc naturam imitari nequeat: quod licet verùm ſit, tamen ab experientia cognitum eſt, haſce mineras ejuſmodi cauto igne tractatas plus argenti reddere, quam alias inconvenienti exuſtas, quod itidem de auri venis, aliíſque exploratum habetur, atque hinc concludunt illi, ſi hîc artis beneficio argentum & aurum in lucem naſcitur, quod alias periturum eſſet, quidni ejuſdem ope in ſua matrice augeri & perfici poſſit? His indiciis ducti & docti, æs in argentum & aurum transferre nituntur & laborant. Quod equidem in mineris ipſis igni intactis vix licet, quia eæ adeò impuræ, & fæcibus multiplicibus permixtæ ſunt, ut nihil boni inde ſperandum ſit, quamvis quoque purius æs, at rariſſimè viſatur. Idcircò ad ipſum metallum ſeſe conferunt adhuc prægnans ſuo innato fœtu, ídque ignibus exponunt, ſed eodem eventu, quo alii *Calcinationem metalli.*

in antedictis operibus occupati. Ignibus enim ſive levioribus, ſive fortioribus utantur, multum ſpei, parum rei hic inventuri ſunt: quia licet colores optimè reſpondeant, pondera augeantur, & reliqua bene ſe habeant, attamen nec argenti, nec auri augmentationem ullam perſentient, niſi fortè per mille annos in labore perdurent: Ad hanc operationem eò audaciùs incipiendam & patientiùs perficiendam, Geber quoque claſſicum canit, cùm inquit in Summa perfect. cap. 32. de auro, inter æris ramenta, quæ in arena caloribus Solis expoſita fuiſſent poſt lotionem aquæ per triennium ea percurrentis, aurum optimum inventum eſſe: Verùm hæc verba ſunt adeò dubia & ſophiſtica, ut nemo illis fidere debeat, cum vario ſenſu intelligi poſſint, non ſolùm tropico, ſed &, prout ſonant, ſimplici. Nam in multis mineris æris aurum invenitur, ut & argentum, ſecũdùm naturam minerarum: ſic in arenis idem aurum, ut & in rivis fluviorum colligitur, & fortè interdum æs, tranſlatione ex aliis locis aut venis. Quid hæc ad tranſmutationem æris in argentum & aurũ per artem? Ars enim

in his naturam non aſſequitur, ſed admiratur potiùs ejus progreſſum & opus, ubi rimari nequit, multò minùs imitari. Quidam ad ſulfuris ablutionem & ſegregationem utuntur aliis mediis, nempe ſolutione in aquis corroſivis vel acribus, aceto diſtillato & hujuſmodi, ac poſt calcinant & reducunt, prout Geber aliíque chymici ſecundùm literam innumeris ſuis tractatibus præſcribunt, ſed qui hoc modo operantur, ſciant, ſulfuris illius abſterſionē eſſe longè difficillimã, propterea quod ſuo ſubjecto in profundo adhæreat, & ne quidem illo deſtructo ſeparetur, nedum ſalvo & illæſo: Cujus rei cauſa cùm ſit diverſa ab antedictis, hic inſinuanda eſt: ſulfureitas in Venere duplex eſt, una inflãmabilis & volatilis, altera neutiquam, quarum prima per calcinationem repetitam deletur, imò vix deletur, ſecunda neutiquã, niſi accedat cum argento vivo lotio conveniens, aut ſulfuris aurei ſubſtantia eam ablegans. Duobus enim hiſce modis abigitur, licet pro una via haberi poſſit. Cauſa, cur non illis artificiis, ſed his ſegregetur, manifeſta eſt, quia ignis, & quæcunque corroſiva exiccant, & ſic magis aſtringunt & ſti- *2. Sulfuris ſegregatione.*

pant illam ſulfureitatem terream, ac interim argentum vivum, cui adhæret, abſumunt & fluxioni inutile reddunt. Vnde ex utroque terrea ſubſtantia reſultat, non aurum nec argentum, quod quæritur. Vbi admirabile quid cõtingere animadvertimus (quemadmodum quoque in plumbo) quod Venere calcinatâ & igne crematâ, ejus pondus magis atque magis augetur, eò uſque donec in quinta parte primum pondus excedat, cùm tamen conſtet, ignem abſumere omne humidum, & id eò pondus minuere. Hinc experientiſſimus metallorum probandorum per Bohemiam magiſter, Lazarus Erkerus, inter cætera ſui operis abſolutiſſimi, non immeritò hanc quæſtionem movet, at inſolutam Philoſophis diſcutiendam relinquit, cur nimirum cupella probationis æris unà cum impoſitis ante operationem, & poſt ponderata, gravior ſit poſt, quàm priùs? Cujus rei cauſas occultas, ut alii pro ſui ingenii ſubtilitate inquirant, facilè concedo. Quantum ad me ſpectet, agnoſco in duobus illis metallis, ære & plumbo, quæ ingrediuntur cupellam, abſumi non tantùm humidum argenti vivi,

ſed & magnam partem ſulfuris combuſtibilis, quod ſi jam reſpondeamus, humido abſumpto terram graviorem reddi, hoc tamen non fieri in aliis rebus experimur. Exempli gratiâ, ſi ex roſis diſtilletur aqua, & caput mortuum, ſeu maſſa illa in fundo reliqua ponderetur, non erit tanti ponderis, cujus ante fuerant roſæ impoſitæ, tantùm abeſt, quód erit majoris. Hinc ſi dicamus, nullam ibi fieri evaporationem humidi ſed potiùs condenſationem in terram, huic reſpondetur, condenſatio ſi fiat, ratione humidi evaporantis continget, ut videmus in luto humido areſcente, vel melle coćto ad conſiſtentiam, quód ſi ita eſt, neque hac ratione priſtinum pondus habebit, multò minus majus. Verùm Philoſophi dicunt, quod in ſua coagulatione craſſius ignis cadat in aërem, denſius verò aëris in aquam, & hujus denſius in terram, quâ ratione hujus difficultatis ſubterfugium quidam petére poſſent, ſed non ſatisfacient omnibus. Alii ignem augere hanc ſubſtantiam aſſerent, quod frivolum eſt cogitare, alii in humiditatem cupellæ transferant cauſam, quæ

imbibatur ex aëre poſt operationem, ſed hoc inanè eſt phantaſma, quomodo enim in cineritiis aliquot unciæ aëris attrahi poſſent, cùm potiùs cupellæ humidiores cenſendæ ſint antea, quàm poſt. Eſt qui ad plumbi jacentis ſub dio gravitatem contractam, aut etiam calcinati pondus majus reſpondet, terreſtreitatem ejus auctam eſſe aucti ponderis cauſam; quod huic concedendum, quia augeri poteſt imbre & terrâ maceratum plumbum, at in propoſita quęſtione tale nil accedit, niſi ignis, qui nihil auget, ſed omne potius minuit. Dicimus itaque levibus ablatis ſulfuribus aut concrematis, corpus gravius reddi, haut aliter quàm eundem hominem eſſe longè graviorem mortuum ſeipſo vivo, nempe ſpiritibus aëreis & igneis, qui librabant corpus vivum in cadavere amiſſis, alii ſtatuunt. Quæ cauſa ſi cui non arrideat, quæratur veriſimilior, quæ tamen cum dicta natura metallica conveniat. Præterea, cùm conſtet, Veneris ex ferro generationem aut eductionem medio vitrioli, vel vitriolatæ aquæ, fieri, veluti in jam dicto monte Ramma uſu receptum oculis

3. Solutione in aquas corroſivas.

ipſis annotavimus, hinc eiuſdem Veneris in argentum vel aurum progreſſum continuari poſſe, quidam autumant, dummodò conuenientibus aquis aut ſalibus tractetur ſeu ſolvatur & congeletur. Hoc argumentum etſi ex probabilibus ſit, & non neceſſariis, conceſſis omnibus ejus antecedentibus, ideóque non opus habeat reſponſione, tamen cum multa hinc dubia oriri poſſint, tam contra artis veritatem, quàm aliàs, huic breuiter reſpondemus: Miſochymici (inter quos Guibertus quidam) negant hanc tranſmutationem eſſe veram, ſed ſaltem cupri atomorum aut inſenſibilium particularum per aquas vitriolatas collectarum & abſconditarum in iis vel vitriolo congregationem fieri ferro aquæ impoſito, cujus ſententiæ ſe quoque diu fuiſſe teſtatur antedictus Erkerus, niſi vidiſſet in ſubterraneis æris fodinis claves ferreos cuicunque ligno infixos, tempore intercedente longiori, in purum putúmque cuprum tranſmutatos fuiſſe, quod adeò evidens eſt, ut nullam refutationem admittat. Concedendum itaque, hanc tranſmutationem ferri in cuprum eſſe poſſibilem &

fieri dicto modo, at interim non ſequitur, cupri in argentum vel aurum eodem modo conuerſionem fieri per aquas artificiales aut ſales. Differentia enim inter perfectum & imperfectum major eſt, quàm inter imperfectum unum, & aliud, præſertim Venerem & Martem, aut Iovem & Saturnum. Ex ferro, ſi aliquid ſulfuris terreſtris prohibentis fuſionem ejus ſegregetur arte, videtur illud in Venerem tranſire poſſe. Et ſic dicendum de Saturno, nigredine ejus ſeparatâ ad partem, in Iovem tranſituro: At ut ex Venere fiat Luna, oportet ut totum ſulfur Veneris, quod copioſius eſt, arte deleatur, quod adeò arduum, ut penè impoſſibile habeatur, veluti ſupra diximus. Huic malo ſophiſtæ remedium invenire ſatagentes, ad dealbationes Veneris ſe contulerunt ſuperficiales & non radicales, cum Mercurio ſublimato, arſenico albo, antimonio, zinkio, ſtanno, biſmuto & ſimilibus multis præparationibus interpoſitis. At deceptores potius inuenti ſunt, quàm veri Philoſophi. Cauſa horum deceptionis modorum hæc eſt, quod Venus habeat intra ſua viſcera morbum læthalem & in-

4. Dealbationibus.

curabilem remediis omnibus, exceptâ unicâ medicinâ, nempe ſulfur comburens terreſtre: Vnde corpus ejus poroſum, deforme & infirmum redditur. Hic morbus curandus ſuſcipitur ab his Empyricis, emplaſtris & illitionibus cuti optimum colorem conciliantibus, ut ſic naturalis, & vivida temperies rediiſſe, corpúſque ſanum eſſe videatur. Verùm ad tempus ſub hoc pallio deliteſcit morbus coram ignaris, qui poſt cineritio, coloritio, quartatione & ejuſmodi examinibus facilè in conſpectum venit, & medicaſtro ſuo imperito & improbo, malæ voluntatis & duræ cervicis, viro, infamiam, ſi non mortem aut carceres pro mercede curationis reportat. Idem dicendũ de ſophiſticationibus ſeu citriniſationibus Veneris ad auri colorem, ut fit in latone cum tutia aut lapide calaminari, aliiſque ejuſmodi præparationibus, quibus ex albo & rubeo coloribus certa proportione inter ſe mixtis citrinus naſcitur aut flavus, aureo ſimilis, non æqualis. Verùm quod his omnibus deceptoribus Albertus occinit, hic nobis ſufficiat. Quicunque, inquit, albificant cum albis & citrinant

Rubificationibus.

per cittinâ, eadem manente metalli ſubſtantia, hoc eſt, non purgatâ à ſulfureitate ſua, ſunt deceptores: quod licet in latone non fiat (vbi flavedo non flavo, ſed albo in rubeo colore apparet) tamen ſulfureitas non eſt adempta, quæ poſtea in igne corpus metalli non defendit (uti debet, ſulfur verum) ſed comburit, non ponderoſum, ſed leve reddit, non ab efflorefcentia in acutis aut corroſivis tuetur, ſed viriditate & ærugine inficit, ne quid dicam de aliis ejus corruptelæ cauſis aut ſignis.

II. De uſu ad Tincturam.

Qui tincturam verò in Venere quæſiverunt, non multum ſuæ rationis iudicio aberrarunt, cum viderint corpus ad omnia ſibi deficientia acquirenda & ſuperflua demenda ſatis habile & diſpoſitum, in eóque potiùs ſpem & laborem ponendum, quàm in curcuma, ſanguine humano, cortice granatorum & capillis, híſque ſimilibus, quæ facili ignis combuſtione in cineres abeunt, & artificem impenſis defraudant. Eſt enim Venus inter corpora coloris ad tinctu-

ram rubicundiſsimam capiendam propinquioris, qui in igne non facilè diſcedat, ſed liquefactionem poſt ignitionem in ſuo ſubjecto hærens admittat, quorum nullum in jam dictis contingit. Quid multis? Geber dicit, Venerem habere in ſe ſulfur fixum tingens in infinitum, ut aliorum teſtimonia prętereamus. Hæc cum quidam intelligerent, Venerem ad tincturam aſſumpſerunt crudam, eámque miſcuerunt diverſis metallis & mineralibus, quibus per ignem fortem combuſtis, in Venere tincturam auctam opinati ſunt, quam auro addiderunt, & ſic augmentationem in argentum promiſerunt: Quantum præſtiterint, ignotum mihi eſt, hoc ſcio, quod hæc tingendi ratio ſit naturæ adverſiſſima propter cauſam, quam adjungo: Aurum non plus habet tincturæ, quam ſibi ſufficiat, niſi plus aliunde acquirat, nihil argento communicare poteſt: At dices, quod ex Venere acquiſiverit aliquid tincturæ: Ego id pernego: Tinctura eſt argenti vivi puriſſimi ſubſtantia fixa, hoc eſt, in omni igne perdurans abſque diminutione, calida & ſicca n ſubjecto humido, ideóque potius ca-

1. Vt ex ære tinctura fiat aliorum opinione: combuſtione & mixtione cum perfecto.

lida & humida, in ſummo gradu. Ad hæc ſubſtantia non fuit in cupro ante naturaliter, nec poſt introducta: quod non fuerit, patet, quia perfeciſſet ſuum argentum vivum in aurum; nec poſt advenerit, quia hæc eſt veræ tincturæ proprietas, quæ non levi artificio in cuprum introducitur: Ergo nec Venus quid tincturæ communicavit auro: Hæc eſt hujus Labyrinthi Cynoſura veriſſima, quæ à multis erroribus ſui ſequacem liberabit: Vt enim Cynoſura in cœlo per ſe mobilis eſt, attamen habet ſtellam unam in extremitate ſuæ caudæ, polo mundi immobili propinquiorem, ita etiam hæc noſtra tractatio: Satius eſt animadvertiſſe, quo non ſit dirigendum iter, quam in immenſo Oceano erraſſe & ad omnes mundi plagas abſque ulla curſus directione vagatum eſſe. Alii non crudis, ſed coctis ex Venere poſitis remediis uſi ſunt ad morbos imperfectorum curandos, idque diverſis viis, quas ipſi ſibi invenerunt, & non noſtrum eſt explicare: Hi conſiderarunt, quod natura ubi morbum, ibidem & remedium po ſuerit, dummodo homines eo egentes i eligere & à fæcibus adhærentibus ſepa rat

Simile à Cynoſura

2. Extractione ejus ſulfuris per varias præparationes.

rare poſſint. Geber ubi de Venere loquitur, quod habeat in ſe ſulfur rubeum, ſimiliter de Marte, Saturno & Sole, imò de ſulfure & Mercurio, aliíſque innumeris idem refert: Videndum igitur, cui fidendum, quo loco & tempore: Corpus ex quo ſulfur illud extrahi debeat idem Geber dicit, eſſe ſpirituale: An tale ſit Venus, dubitandum donec inquiſitum ſit: ſunt equidem multæ gentes, quæ bonos habeant, naturæ indulgentiâ, cibos, ſed quos ipſæ vel inſcitiâ vel ignaviâ, aut præpoſtera de ſeſe nimíſque magnifica perſuaſione ductæ & indoctæ præparare nequeant: Ita contingit cum corporibus metallicis; quæ permulti ſciunt eſſe utilia ad tincturam inde eliciendam, ſed ipſi præparare, aut neſciunt, nec inquirunt, aut labore deterriti abſtinent ab iis, ſuíſve rebus nimis addicti non curant de aliis magis indagãdis: animal quoddam ajunt, cui Inertiæ nomen eſt, arbori pomis onuſtæ adrepere, eámque cauda verberare, ſed non aſcendere, etiamſi poſſit, fame penè moribundum, & ungues à natura datos poſſideat, ne ſcilicet poſt deſcendere opus habeat. Huic perſimiles refert Baconus, quam plurimos chymiæ

amantes ejúſque fructuum cupidos, at laborare nolentes, ideóque de artis fine deſperantes propter ſumptuum, laboris & temporis interpoſitionem forte cum jactura faciendam: Nonnulli aliam ingrediuntur ſemitam, neſcio an fœliciorẽ, conſiderantes viſitanda eſſe interiora terræ juxta literas initiales ænigmatis, dum, prout Mercurio vulgi Mercurium metallicum ſic ſulfure communi ſulfur metallicum ex Venere elicere conantur. Sumunt itáque Venerem & calcinant ſulfure cõmuni, veluti quorundam proceſſus eſt in propatulo, indéque ſulfur, aut, ut illi vocãt, vitriolũ educunt, ſanè nullâ aliâ intentione, quàm ut cum eo tingant, quod cùm non in hoc vitriolo invenirẽt, aliis uſibus, ut fit, applicârunt, nempe ad oleum ſeu ſpiritũ vitrioli inde conficiendũ pro ſtomacho confirmando laudabile Eſurinum. Sunt alii, qui crocum inde faciunt vel æs uſtum, ſolvúntque in aquis regiis, fortibus aut ſpiritu urinæ, per ſe, vel miſcent cum aliis, & tandem vel cum auro ſolo, vel cum auro & Mercurio miſcent & figunt, quorum laborum & mixturarum cum ſit inenarrabilis numerus, nos ſingulis recenſendis ſuperſedebimus;

3. Vitriolo ſeu ſulfure Veneris.

4. Croco vel ære uſto.

Et ſaltem ad jam prolata, ex quibus de ſimilibus judicandum erit, reſpondebimus: Sanè crocus ille vel æs uſtum in medicina corporis externâ optimi uſus eſt, vix ad internam, qualis tinctura eſſe debet, quia venenoſi multum adhuc & corroſivi obtinet: Hinc vulneribus aut ulceribus exedendis aut cicatrizandis non utiliter adhibetur: Quod ſi verò cum ejuſmodi aquis corroſivis miſceatur, eò magis exedentis proprietatis evadet, à qua abſtinendum: Cauſa, cur non in vitriolo aut croco æris quid boni ad tincturam ſperandum ſit, ex hiſce patet. Tinctura eſt puriſſima pars argenti vivi calida in humido agens, qualitatum excellentium, quæ non ſunt in jam dictis ſubſtantiis ſiccis & impuris, terrenis & nihil aut parum argenti vivi continentibus: An jam has qualitates his ſubjectis inducere poſſint, nec ne, diſquirant intelligentiores. Verùm alii ad evitandas has difficultates ex Venere Mercurium longi temporis labore elicuerunt, eúmque ad tincturæ proprietates recipiendas aptum exiſtimarũt, quippe qui homogeneitas Mercuria- *5. Mercurio Veneris.*

lis, fluxibilitatis & fixitatis non obſcura documenta polliceatur: At pręterquam quod difficilimè educi poſſit, impurus eſt & viriditatem ſemper ſuam oſtendit, ſulfureitatis nunquam expers, à qua ſi tandē purgari poſſet, quid aliud quam Mercurius vulgi, Saturni aut ſtanni prębſtaret? qui ſi ex antedictis rationibus non poterunt coagulari in aurum, nec tincturam; nulla eſt cauſa, cur hic illis ſit ad eadem aptior: Fixus fuit, inquies, ideóq; facilè fixandus, iterum tinctus, ideóq; tingendus. Ad hæc reſpondeo: tinctus non fuit, nec fixus verè, nam quod talis exiſtimetur à ſulfure rubeo, impuro & fixo partim provenit, quod cum ſit corrumpens & non conſtans in igne, nec ex ſubſtantia argenti vivi, nec color nec fixitas Veneris eſt legitima: Cúmque hæc reducta dicatur in Mercurium, nec id abſque alio Mercurio factū ſit, vereor, ne plus ipſi adſit de alieno, quam de proprio; & ſi quid de proprio, id viriditate & ærugine obſeſſum, à quo ſi iterum ſepares alienum, in ſuam ſubſtantiam redibit metallicam fortè, & ſic nihil factum fuit. Verùm demus, quod ſit ille Mercurius Veneris purus

& genuinus, nihil tamen confert, propter proprietates tincturæ ſæpè dictas, quæ nullo artificio in Mercurium poſſunt induci, niſi hic vel ex toto maneat frigidus & humidus; ſicque currens, vel è contra calidus & ſiccus per accidens, in forma ſicca; Et ſic nec aurum nec tinctura inde habebitur. Vt autem quid de Venere ejúſque tinctura (cui Baſilius Valentinus multis in locis calculum, ut videtur, adjicit) æſtimare debeas: meliùs intelligatur, en accipe emblematicam hanc figuram, quæ ſequitur.

CHAMÆLEONTIS ANATOMIA.



Magnus ille rerum naturalium contemplator Democritus ex Abdera oriundus, qui uti ſupra vulgum ſaperet,

patriam reliquit, & Ægyptum, matrem ſcientiarum omnium, adiit, ubi Philoſophorum ac ſacerdotum ſapientiſſimorum contubernio aliquandiu uſus, abditiſsimorum myſteriorum cognitione optimè inſtructus, tandem ad ſuos rediit, ubi cùm ferè omnes diverſiſsimis & inanibus deſideriis rerum futilium & inutilium detineri animadverteret, veras autem ſcientias & artes, quæ animum divitiis & corpus optima ſanitate beant, alto ſupercilio deſpicere, non potuit non hominum ineptias, & præpoſteram vivendi rationem perpetuo cachinno explodere & deridere. Cúmque Philoſophi ſit, cauſas rei proximas agnoſcere, non dubitavit in viſceribus animalium ejuſmodi vanitatis in hominibus cauſam inquirere & explorare per anatomiam medicis uſitatam. Exiſtimavit enim vir prudentiſsimus ſplenem in primis, qui melancholici humoris, omnis phantaſticæ opinionis, authoris, receptaculum eſt, in illis beſtiis, quæ proximè ad hanc hominum diverſi colorem pravitatem & nequitiam ſuâ naturâ accedant, perluſtrandum, & ſubtiliſsimè inveſtigandum, num quid inſo-

liti, & præternaturalis humoris contineret. Cum hac ratione brutorum multorum cadavera ſecuiſſet, & variarum rerum cauſas, pro cujúſque animalis diverſitate inſpexiſſet, tandem omnium beſtiarum verſutiſſimam, quæ maximè homines aſtutos & verſipelles, inque ſingulas horas mutabiles, in vanitate autem ſua nimis conſtantes, repræſentaret, Chamæleontem ſibi adferri curavit ex Africa, cujus utpote rariſſimi & incogniti in his locis, hæc eſt deſcriptio. Roſtrum ad modum ſuis, corpus aſperum crocodili inſtar, caudam prælongam, quæ in tenuitatem deſinit viperinis orbibus ſe implicans, crura ejus recta, latera ventri junguntur, ut piſcibus, ſic & ſpina: oculi in cavo receſſu prægrandes & concolores corpori, qui nunquam operiuntur; nec pupillæ motu, ſed totius oculi verſatione circumſpiciunt: Colorem mutat corpore, caudâ & oculis redditque ſemper quæcunque proximè attigit, præter rubrum & candidum: Ore eſt ſemper hianti, ſolúſque, ut ajunt, animalium nullo alio, quàm aëris nutrimento nutritur: Vngues ei adunci, & motus tardus, ut

teſtudini:Has & alias hujus animalis proprietates Democritus obſervans ſingularum cauſas per ſectionem indagavit & invenit. Roſtrum ſuillum ipſi à natura datum exiſtimavit, ut voracitatem ſignificaret, licet ſaltem aëre nutriretur. Corpus crocodili fere invulnerabile,ut tarditate motus aliorum injuriis non eſſet expoſitum:Caudam viperinam, quia venenoſitatem quandam in ſe habeat,homini infeſtam: piſcibus quoque ſimilis, quia quatuor elementa optimè repræſentat quatuor animalium formis.Oculi aperti, quia nunquam dormire videtur, hoc eſt, ſomno opprimi non apparet. Colorem mutat in omnes differentias præterquam in rubrum & candidum,hoc eſt,fit niger, viridis, ceruleus, aliiſque coloribus inſignitus,ſed optimos illos quæſitos non exprimit, aut ſi exprimit, non tamen ſunt veri, at ſaltem per deceptionem viſus contingunt: Aëre veſcitur, quod eſt admirandum in quadrupede tam corpulento: Aër enim inſtar fumi in viſcera & venas ejus penetrat & mutatur in ſanguinem, qui tamen ſubniger magis eſt, quam rubeus, uti eſſe deberet. Cujus rei cauſam cum Philoſophus acutiſſimè in-

quireret nec ab inſtituto deſiſteret, invenit viſcus illud, quod atrum ſanguinem ex tota maſſa ſeparare debeat, huic animali deeſſe, nempe lienem. Atque hinc motum ipſi tardiſſimum ad eſſe, ob terreſtris humoris melancholici in corpore manentis copiam, hinc abeſſe quoque ipſi rubrum aut candidum colorem, quia uterque à bona temperie ſanguinis oriatur, quę non eſt in hoc animali: Inde quoque huic defuncto pallor adfuit in toto corpore, ſanguis autem ſoluta circa cor & oculos. Quæ omnia cum Democritus obſervaſſet, ac inter cætera Hippocrati medico aſtanti declaraſſet, his indiciis manifeſtiſſimis ſatis teſtatum reliquit ſeſe eſſe Abderitarum omnium ſapientiſſimum, nec inſanum, (veluti exiſtimarent, ideóque ad maniam ejus curandam Hippocratem ablegarunt) ipſos verò Abderitas pravis opinionibus prę̨ocupatos circa vanitates mundi inſtabiles ex melancholici humoris copia & lienis defectu dementatos verſari, & vitam belluarum indomitarum inſtar degere, ideóq; Hippocratico elleboro & fortiſſimo auxilio indigere.

De III. Vſu ad medicinam.

Intra corpus humanum propinaſſe medicamenta ex Venere præparata, temeritatis vel audaciæ inexpertæ à plurimis cenſetur ſignum, cùm conſtet in Venere cruda per ſe aliquid cauſtici ineſſe, quod corpori humano haud conveniat, in primis ſi cum acribus & corroſivis exaſperetur & corrodatur. Nihilominùs inveni~~mus~~ alios fœliciter tam ex cruda quàm præparata Venere uſurpaſſe remedia, quorum experientia maneat in ſuo valore. Quidam enim acetum diſtillant in vaſe cupreo ſeu veſica cum alembico vitreo ſeu ſtanneo, & aquam inde diſtillatam promittunt evacuativam per vomitum & ſedes abſque noxa, quod qui velit, experiri poterit, & in Care (quod ajunt) aut potiùs cane, facere periculum. Alii præcipitatum ex Venere & Mercurio in peſte ſibi profuiſſe teſtantur, cum alia medicamenta non eſſent ad manum. Eſt, qui ab hoc, tanquam veneno exitiali, dehortetur medicos, cui obſequendum cenſeo, etiam alterius experimento edo-

ctus, qui optimum quoad calorem, ex Venere medicamentum, experiretur, cato in os intruſit fortè ad grana tria, undequidem mox nihil mali ſenſit, vel eodem die catus, ſed ſenſim contabeſcere cepit, ita ut ex tabe intra menſem ab aſſumptione illius mortuus ſit. Non enim in tanta copia medicamentorum certiſſimorum, quorum tot ſecula mundi experimenta & pericula ſubierunt, opus erit ad dubia, periculoſa, haud cognita tranſire, relictis cognitis, tutis & exploratis. Medicamenta amicorum habeantur loco, ex quibus non decet novos anteferre veteribus novitatis gratiâ, uti cum equis uſu venit, ſed veteres, ut anteſignanos, in maximo honore habere, novos interim familiariter accipere & utendo probare: Idem de medicamentis novis & veteribus judicium & diſcrimen ſtatuendum non diffiteor: Conſtat enim plæraque à chymicis medicamenta facta & in cœlum ſuis laudibus, forte dignis & meritis, evecta, caſu fortuito eſſe inventa, nempe ab aliud quærentibus; Vnde miror hos ipſos gloriari adeo de illis interdum, uti non videantur aliquid reperiſſe, quod

pueri in fabis, tanquam veteres chymici aut medici, inter quos Avicenna & Arnoldus, nihil ejuſmodi ſciverint aut fecerint, quos tamen permultos errores erraſſe & exantlaſſe non eſt dubium, antequam ad artis perfectam veritatem pervenerint, ideóque & talia & tanta, qualia & quanta moderni jactant, remedia jampridem feciſſe, habuiſſe, & probaſſe, at cum fortuita & non quæſita fuerint, neglexiſſe & ſilentio præteriiſſe: utpote imperfecta & dubia: His non obſtantibus exiſtimo ex Venere præclariſſimam antidotum contra venena & plæraque corporis humani mala utiliſſimam confici poſſe arte ſpagyrica, qua ſulfur illud cauſticum temperari, ſi non ſeparari, poſſit; quod tamen non cujuſvis fore artificis, ſed experientiſſimi & circumſpecti opinor.

CAP. V.

De Monte Martis.

MArtem, licet corpus ſit durum, nec in igne fluens, tamen metallis ad-

numerati non eſt dubiũ, tum propter malleabilitatem ejus, tum ſplendentem ſubſtantiam, quæ ex argento vivo, metallorum omnium ſpermate, originem duxit. Vt enim in republica ſeu ſtatu politico ſunt diverſi mores, habitus & officia civium, quorum alii præſident cum honore, alii ſunt nobiles, alii ignobiles & manuarias exercentes operas, ita in hac metallurgia ſeu Septemviratu metallico quædam ſunt in cenſu & pretio, quædam non, quædam mollia & non aſſueta ignibus, quædam dura & aſſueta, quale & ferrum habetur, ſervus, ut ita dicã, omnium: Imò Stratiotes ſeu militiæ peritus & Mareſcallus, qui regi & reginæ, Soli & Lunæ (ut & Saturnus Cancellarii, Iupiter theſaurarii & Mercurius legati ad exteros mittendi vices obtinens. Venus verò Gynæcio addicta) ſerviat. Qualem politiam in ipſis planetis cœli, quorum nominibus hi terreſtres ſimilitudine quadam appellantur, obſervare liceat, nempe rege tenente medium ſui regni, cæteros conſiliarios, Saturnum, Iovem & Martem, utrinque ſtipare ejus latera, ad quem proximè accedentes ſe humiliter ſubmittant, ne quid ejus majeſtatis ſplendori &

authoritati detrahant, remoti verò ſublimius, ingrediantur tardius & tutius, retrò, citráque, non tamen ab orbita veritatis, hoc eſt, Eclipticæ lineâ, nimium recedentes. Mercurius regi proximè adhæret, ut ſatelles, à cujus radiis obfuſcatur, at Venus tam veſperi, quàm manè ſuâ luce regis propinquitatem manifeſtat. Luna verò, veluti Regina, à Sole lumen mutuatur, quæ (ut & cæteri) ne officiat ejus ſplendori, proxima, tenuior, remotior, plenior apparet, ut reliqua cœleſtium luminum admiranda, & homini contemplanda munera hic prætereamus. Quæ etſi ita ſe utrobique habeant tam ſuperius, quàm inferius, tamen non ideò aſcribere poſſumus Marti inferiori ſuperioris virtutes, nec è contrà ſuperiori inferioris. Dicuntur enim hæc potius & præſupponuntur, quàm probantur, cum illuſtrationi rerum maximè conveniant comparationes, etiam non in omnibus coincidant. Mars itaque bellis igneisque ardoribus præfectus jam conſiderandus eſt, quatenus ad triplicem dictum uſum adhibeatur, nempe ad aurum, tincturam & medicinam.

I. De Vſu ad aurum.

Ad argentum vel aurum ex Marte conficiendum, credo, quod paucißimi reſpexerunt, tum quia durus, intractabilis, fuſionis expers, niger & pauci argenti vivi, tum quia Philoſophi ejus rarißimam mentionem faciant, & quaſi quemlibet ab ejus tractatione dehortari videãtur. Nam, quia durus, reſiſtit operationi artificis, quia non funditur, nec metallis congregatur, quia niger (unde & clavi infixi ligno, id inficiunt, & coloribus nigris tinctorum adduntur) ſulfuris terreſtris copioſißimi in eo indicium eſt: pauci argenti vivi, hinc ferrum levius & poroſius perfectis, cæteriſq; imperfectius, licet fixius. At hæc proprietates, quæ in ferro deſiderantur, auro maximè adeſſe debent. Qui itáq; duritiem, fuſionis defectum, nigredinem & ſulfuris terreſtris abundantiam, argentique vivi inopiam à ferro artificiosè tollere poterit, idque æquatis qualitatibus in citrinitatem tingere, is faciet ex eo aurum: At hoc difficilimum non ſolùm alicui continget, ſed etiam ferè impoßibile

le. Quod cùm quidam animadverterint, experientiâ fruſtratâ vel ratione ducti, ferrum imbiberunt cum auro, eique miſcuerunt, unde non facilè ſeparari potuit, ut Geber teſtis eſt, at pondus ſaltem, non calorem, auro auxerunt: ideóque fuit potius impoſtura, quàm augmentatio aut tranſmutatio quædam. Alii ex ferro Mercurium cùm mineralibus certis extraxerunt, eúmque in aurum, ut ipſi teſtantur, coagularunt adjecto auro naturali; fermenti loco: ſed quantus error inde conſecutus ſit, noverunt illi, qui eorum libros legerint. Aurum verum & legitimum in omnibus probis à vera arte expectatur, ſophiſticum, & quod non in omnibus examinibus perduret deceptoribus tractandum relinquitur. Non enim chymicorum libri ſcripti ſunt in perniciem populi aut reipub.: at malè intellecti & opere falſo expreſſi, eum ferè finem in multis ſortiuntur per accidens. Vt ille qui hominis alicujus imaginem per plaſticen ex cæra ſuis coloribus ita expreſſit, ut ipſe homo, cujus eſt imago, videatur, non tamen vitam, hoc eſt, ſenſum & motum, adjecit, non ſua arte perfeciſſe

1. Martis imbibitio cum auro.

2. Martis Mercurius in aurum coagulandus.

verum hominem dici poteſt, ita nec alchymiſtæ illi deceptores, vel alii horum ſequaces, non putantur aurum verum feciſſe ex materia, in quam non veræ auri proprietates, quaſi vita & forma, introductæ ſunt, quales antea enumeratæ & præcipuè ex propriis auri examinibus dijudicantur: Cum itaque hæ proprietates non fuerint in eo auro ſic coagulato ex Mercurio Martis, inde nec omnia examina ſuſtinere potuit, & ècontra, nec verum aurum, licet ad ſpeciem, repertum eſt.

II. Ad Tincturam.

Ad tincturam fortè nonnulli ex Marte extrahendam intenti fuerunt, quorum conatus an ab eventu comprobati ſint, meritò quis dubitet, qui tincturæ veræ ſubtilitatem, Martis craſſitiem, illius puritatem, hujus impuritatem, & ſic reliqua cujuſque adjuncta, conſideret. Aurum in palatiis regum & principum reſidet, ut Nobilitatis paludamentum, & obtinet nobiliſſima officia, ferrum in angulis deliteſcit & peragit viliſſima Slavorum opera per mundum. In cau-

ſa eſt, quod illud rarum, hoc in copia, illud pulchrum hoc deforme, illud tenerum, quaſi incorruptibile & æternitatis ſpecimen, hoc aſperum & ignibus facile ſuperandum, penitúſque deſtruendum: Quæ omnia in auro ſunt propter tincturam aut formam ejus præſentem, in ferro autem, ob eandem abſentem. Vnde longiſsima diſtantia inter hoc & illud videtur, tanquam inter extrema: Nihilominus qui omnia etiam inſperata tentare voluerunt, Martem calcinarunt ad Tincturam, ſed pulverem nigrum, deformem primò, poſtea rubrum, leviſsimum, quem CROCUM vocant, invenerunt, ad chymiæ hanc intentionem inutilem. Quomodo enim mortuum omnino in vitam revocari, aut mortuos alios reſuſcitare queat, cum egeat ipſum vi alterius? Quomodo impurum purificet aliud? Quomodo leve & omni humiditate exutum poſsit recuperare qualitatem humidam & argenti vivi copiam, qua alia metalla repleat & veſtiat? Quidam in aquis acribus ſolverunt & ſic in crocum redegerunt, eâdem finis fruſtratione. Hæ enim aquæ malitiam Martis non tollunt,

1. Calcinatione.

2. Solutione.

ſed potiùs augent & ſic ignem, quod ajunt, igni addunt; quod in aqua forti communi experimentari licet, in quam vitro contentam ſi limaturam ferri injicias: mox quaſi in momento ita effervescere actu percipies, ut manu tenere nequeas. Cauſa eſt, quia ignea vis aquæ fortis exaſperat ſulfur terreſtre, copioſum in ferro exiſtens. Vnde aquæ potentialis caliditas in actualem reducitur & ferrum conſumitur. Eadem videtur cauſa, quod ferrum ignitum, aquis extinctum, non ſubito ſit adeo frigidum, ut manu tutò tractari poſſit, aurum autem contra, quia ſulfur in ferro terreſtre retinet caliditatem, etiam poſt extinctionem, aurum autem ejus ſulfuris non particeps, ſtatim refrigeſcit. Sunt, qui cũ aceto diſtillato ex limatura Martis colorem rubeum eliciant, ad oculum ſplendentem, veluti cæruleum cum eodam & calce viva ex ære, ſed hi colores potius oculis arrident, quam quid ſpei polliceantur ad rem quæſitam, ideóque ſuis authoribus, pro illecebris ſpectantium reliquantur. Verùm noſtrum non eſt omnium ſubtiles circa Martem, ut & alia metalla inventiones ac opera-

3. Extractione coloris.

tiones hic exprimere, cum ferè ſint inumeræ, nec uni cognitæ, at ſaltem ex ſimilibus de ſimilibus admonitiones dare, quibus obſervatis, bonæ voluntatis artifex à phantaſticis operationibus abſtineri, atque ita neceſſario ad legitimas ſubjecti Philoſophici præparationes, Viatorio hoc noſtro quaſi manu adduci poterit. Concludimus igitur circa omnes cum Marte factas experimentationes, quod ſint difficillimæ & perplexæ, nec quicquam boni promittentes, niſi forte filius Iovis & nepos Saturni agnoſcatur, qui ſorori ſuæ Veneri junctus ipſam per matrimonium filio regio beabit, & Martem una cum Saturno, Iove, Mercurio, Venere & Luna in ampliſſimum Solis regnum evehet, quod cõtingere non poſſe cum ferro communi, facilè tibi perſuadebis. Ferri enim nullus uſus eſt, niſi in bellis, oppugnationibus & cædibus, vix in medicinis & hominum morbis profligandis niſi rariſſimè, de quo mox dicturi ſumus, ſi ſaltem figuram Hieroglyphicam tibi ob oculos poſuerimus, ut ſequitur.

MVTII SCÆVOLÆ FACINVS; quo Servus pro rege occiſus.



Nihil frequentius in hiſtoriis & picturis occurrit, quàm illi fortiſsimi Herois

Romani Mutii Scævolę facinus memorabile, quocirca id huic negotio lubentius applicuiſſe volui. Hic ad Porſenam regem (ut Tarquinium, regno & urbe exulem, reſtitueret) Romam obſidentem profectus, in caſtra tentoriúmque ejus venit, ubi purpuratum quendam, arbitratus regem, ſuá manu occidit. Verùm comprehenſus: & ad regem adductus, dextram, quâ cædem perpetrârat, & in perſona aberrârat, ignibus admotam combuſsit abſque ulla ſuæ miſerationis aut doloris ſigno. Quâ magnitudine animi inuſitatâ perculſus rex liberum dimiſit, ſéque potius amicum Romanorum, quàm hoſtem poſtea declaravit: Hinc Martialis:

Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.

Sic ſæpè numero ſervi pro dominis occumbunt, ut verè dictum ſit:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi:

Verùm hic error, ut nec perpetrantem à regicido excuſat, ita nec occiſum pro domino magnificè extollit, cùm caſus & conſilium longè inter ſe differant: ſimili modo ſi quis caput hoſtis vulnerare deſtinârit, & pedem ſtrinxerit,

nihilominus corpus adverſarii damno affeciſſe creditur. Ex læſo enim pede, licet leviter, in quibuſdam locis, mors indiuiduo ſupervenit. At non exiſtimandum, quod non hic, ut ubique valeat caſus, velut Ovidius de eo ſcripſit:

Caſus ubique valet, ſemper tibi pẽdeat hamus,
Quo minimè credis gurgite, piſcis erit.

Nam Rex noſter ſatis dignoſcitur pro ſervo, ab eóque non ſolum purpurà, ſed coronâ aureâ, & corporis decore ornatiſſimo ſecernitur, qui non aberrante mente aut dextra à Scævola quodam, ſed ambidextro artifice occîdi debet, non vi nec ferro, ſed refrigerio aquæ dulcis, quemadmodum laudatiſſimus ille Romanorum Germaniæque Rex Fridericus, ejus nominis primus, Barbaroſſa dictus, Chriſtianis in terra ſancta ſummum columen, Saladino Saraceniſque hoſtibus invictus, aquâ fluviali (quam lavandi gratia intraverat) ſubmerſus periit, cujus inteſtina & quicquid fæculentum, ut ibi ablutum, reliquum autem cadaver munia regio corpore digna conditum & tumulatum fuit, ſic hoc loco, quod intelligenti ſatis.

De III. Vſu ad medicinam.

Hominum ſaluti non minùs adhibetur Mars, quam perniciei, imò non ſolùm ſervilibus & abjectis operibus, ſed & medicinis ſaluberrimis intra corpus ſumendis. Quod enim de Pelia, Achillis haſta, fingitur, illam vulnera, quæ inflixerat, curâſſe, vel ad eorum curationem auxilium attuliſſe, idem de bellicrepo, hominúmque jugulatore, Marte intelligendum, qui ſuo acumine & duritie penetrat cutim & viſcera animalium, facitque continui ſeparationem, ac ipſius animæ à corpore migrationem, ſi urgeatur manu hominis, idem in medicinam reductus ſuæ ſubſtantiæ vi penetrativà ingerit ſeſe in viſcera & venas eorundem, & obſtructiones aperit & reſolvit, ſicque individuum ab interitu, ex Dei nutu, vindicat: Imò, velut ipſe Apollo nunc beſtiarum domitor ſeu jaculator eſt, nunc medicus & Alexicacus, ſic & Mars, ne quid de Pallade addam, quæ & Bellona & ſapientiæ Dea credita eſt. Vnde quantum Mars vi bellica humano generi mali, tantum vi me-

dicâ eidem boni præſtat, ut vitium virtute palliet. Quod apparet in primis ex duabus de Marte præparationibus, quarum una aperit, altera aſtringit, ut teſtantur medici. Medicina ex Marte aperiens notior eſt, quàm ut hic deſcribi debeat, éſtque diverſarum formarum, nempe vel electuarium, quale eſt de chalybe diverſæ deſcriptionis, ſyrupus, decoctio, aut alterius formæ humidæ vel ſiccæ, quarum omnium baſis eſt chalybs vel ferrum in limatura præparatum. Hæ compoſitiones ferè omnes aperiunt, abſtergunt & reſerant obſtructiones viſcerum & anguſtarum venularum meſeraicarum aut aliarum, pro diverſo uſu, aut adjectorum qualitate. Hujus claſſis quoque eſſe dicitur crocus chalybis factus vel cum oleo aut ſpiritu vitrioli, imbutâ ejus limaturâ & calcinatâ, vel cum ſulfure. Non opus erit hic recenſere hæc remedia, quibus affectibus ſint convenientia, cùm ſint vulgo nota, alibique exponenda. Medicamentum verò ex chalybe aut ferro adſtringens petitur, ſi hoc ignitum extinguatur in aliquo liquore, qui intra corpus & extra uſurpatur. Aut ſi corpus ferri calcinetur

Medicinæ ex marte aperientis.

Adſtringentes.

ſolo igne in crocum rubeum, impalpabilem pulverem. Hic enim potius adſtrictoriæ virtutis cenſetur, quàm aperientis, & convenire in omni fluxu ſanguinis, alvi, epatis, uteri & ejuſmodi aliis. Quæcunque alia ex hoc metallo conficiuntur medicamenta ad eoſdem ſcopos abſque dubio referenda ſunt, neglectis interim præparationibus ejus, cum aquis fortibus aut corroſivis factis, quæ Martis naturam per ſe innocuam nocivam facere poſſent.

CAP. VI.

De Monte Lunæ.

PEr imperfecta hucuſque progreſſum fecimus ad perfecta, non quod natura prorſus eadem ſemitâ incedat, cùm hæc inſenſibiliter operetur, & diverſimodè nunc per imperfecta tranſeundo, nunc immediatè, ſed quia tam artis, quàm doctrinæ ratio hoc requirat. Si enim alterutri ſive perfecto ſive imperfecto poſterior ordine locus dandus ſit in omni tractatione, videtur perfectum

imperfecto ſuccedere, & nonècontra, propterea quod tam ſecundùm naturam, quàm artem omnis ferè res à parvis initiis originem ducat & creſcat in magnitudinem juſtam, ſive acumen, qua habitâ decreſcunt vel ſenſim vel ſubitò: ſic Roma & ferè omnis civitas orta eſt & ſuccubuit, ſic imperia & regna, ſic arbores, animalia & ipſe homo, ſucceſſivas vices experiuntur creſcendo & decreſcendo, ne plura aut longiora petamus exempla: ſunt inſuper ex illis, qui metalla ſcrutati ſunt, experientiſſimi viri, veluti Matheſius in Sarepta & Solea in ſuis Septuriis, qui teſtantur, metalla imperfecta ad perfectionem ſummam per naturam aſcendere, quâ habitá iterùm deſcendere. Vnde metallarii, ſi mineram offendant combuſtam in materiam nigram, ex ſignis haud dubiis colligunt, à perfectione occupata calore ſubterraneo eam conſumptam expiraſſe, & dicunt ſe juſto tardiùs adveniſſe: Alias naturam calcinando corpus Saturni in Lunam ac Lunæ in Solem; aut Veneris in Lunam & poſt in Solem progredi per aſcenſum, ac dare corpus, hoc eſt, fixitatem ante colorem; in deſcenſu

verò è contra: De quibus an ita ſe om-
nino habeant, cujuſlibet naturæ arcano-
rum indagatoris eſt inquirere, Hoc pro
certo cognitum eſt, quod aurum & ar-
gentum in mineris ſuis exiſtens adhuc
tenellum, inſtar Embryonis in utero
matris, facilè ignibus externis incon-
venientibus in fumum reſolvi poſſe,
cum ex vaporibus conſtent & congela-
ta ſint, præſertim ſi ſulfur arſenicum &
tale quid in copia ipſi adnatum ſit, quod
ad volatilitatem præſtandam adjuvet:
Volatile enim ſi copia vincit, fixum quo-
que elevat, ut ab experientia artis patet,
auro & argento amalgamatis & quaſi in-
corporatis cum diverſis Mercuriis triplæ
vel quadruplæ quantitatis quod nimi-
um aſcendat & excreſcat in formam
arbuſculi aut alterius rei, ſi urgeatur
igne. Vnde miror, quoſdam ex perfe-
ctis, præſertim auro, conatos vitrum
facere, hoc miſcuiſſe cum antimonio
vulgari ac expoſuiſſe igni liquefactionis,
deinde liquefactum in pelvim æneam,
frigidam, inclinatam effudiſſe, vnde vi-
trum, quoddam reſiliit, idque toties re-
petiiſſe, donec omne contentum, &
per conſequens aurum in tale vitrum

rediiſſet, quo habito gloriati ſunt, ſe vitrum auri habere: Verùm meo judicio falſi ſunt, quia ſaltem habuerunt vitrum antimonii, auro in fumum elevato per antimonii copiam, ut contingit in ejuſmodi operationibus, & ab experientia probatum eſt. Hoc addidi, ut monſtretur per artem aurum volatile effici poſſe diverſis modis & ut alii ſibi caveant ab ejuſmodi imaginationibus: ſi itaque aurum in mineris ſuis quoque ſit volatile, admixtis ſpiritibus ſimilibus, tum accedente calore ſolito fortiori, & ibi elevari poterit & in fumum evaneſcere: Quod de auro dictum, multò magis de argento intelligendum eſt, quia hoc eſt auro longè imperfectius, unde continuis ignibus tandem omnino comburatur, aurum nequaquam, cum conſtet curioſorum experientia, utrumque furno ardentiſſimo vitrariorum impoſitum duobus menſibus, argentum in duodecima ſui parte defeciſſe, aurum in nulla ſenſibiliter: Ita & contingit in exactis probationibus per cupellam, quod argentum ſi vel dimidia hora longiùs, quàm debeat, aduratur, damnum aut ſui diminutionem patiatur, vel quia

ı Saturno attrahatur deorſum , vel ab gne vaporabiliter abſumatur : ſi hoc pud artem contingit , quidni apud na- uram ? Cum conſtet artifices ſubtilio- es ex iiſdem mineris plus argenti eli- ere , quam vulgares , & per cupellæ gnes moderatos adjectis convenienti- us mediis & fluxibus , longè plus ar- enti fini promitti , quàm ignibus for- oribus & vulgari artificio ex iiſdem ıineris exprimatur. De incremento au- em argenti dictus Matheſius rationes ad- ert veriſſimas , quod non ſolum adhuc oſcat : non veluti planta , ſed ſuo pecu- ari modo (nec omne argentum aut aliæ ıetalla , ut quidam exiſtimant, ab origi- e mundi actu extiterit) ſed etiam ex ſis imperfectis , ut antehac tradidimus; os unicum hujus rei documentum, ıod nec ipſi circa has res inquirendas cupati , experti ſumus, dabimus : Inter ia cum adeſſemus in Zellerfeld , in du- u Brunſuicenſi ad Herciniam ſyluam o , cognovimus ex certiſſima relatio- e docimaſtæ ſeu Examinatoris metal- ci (*Hutten-Reuter* vocant) fide digniſ- ni viri , oculari que inſpectione , quod uno eodémque monte , fortè per

Obſervatio minerarum.

duo milliaria Italica circumquaque patente, mineræ plumbi ſeu argenti (ſunt enim hæ plærumque mixtæ & pro cujuſque abundántia denominationem accipiunt) diverſæ inveniantur, pro ſitu montis ad quatuor ángulos mundi reſpectu habito: Nam quæ verſus ſeptentrionem ſpectabant, in centenario plumbi ſeſquiunciam ferè argenti oſtendebant, quæ circa ortum & occaſum Solis, uncias tres aut circiter, quæ ad meridiem, uncias ſex; ea ratione, ut quo locus magis calori ſolis eſſet expoſitus, eò mineræ fertiliores fuerint, quod cum ſe quoque in aliis mineris plærumque offerat, hinc conſtat, non ſolum perfecta ex imperfectis oriri; ſed etiam calore ſolis quàm plurimum iuvari. Quod de argento ex Saturno generato hic dictum, idem de auro ex Luna intelligendum, quod innumeris indiciis demonſtrari poſſet, ex quibus vnum aut alterum evidentiſſimũ breviſſimè adferam. Erkerus antè citatus demonſtrat, nullum argentum omnino inveniri, quod non naturaliter auri granum vel majus vel minus abſconditum habeat. Et contra, nullum aurum adeò purgari vel
ſeparari

ſeparari ab argento poſſe, quin ſecundùm rationem, aliquantulum ejus retineat, quomodocunque aquæ ſeparatoriæ componantur; quia argentum eſt mater auri, & hoc ejus fœtus. Vnde fœtus à matre non adeò exactè disjungi ſe ſinit, quin ſemper connexionis vinculum maneat: Vnde aurum illud pro fino habendum, quod poſt exactiſſimam in cupella vel cineritio probationem & diſcretionem, per aquas ſeparatorias exquiſitas ab argento ſeparatum, deinde per antimonii cum eo fuſionem reflationem & cementationem affinatum ſit, licet ſemper tantillum argenti illi adhæreat, non cuique ad ſenſum ſenſibile, attamen poſt exactiorem examinationem artifici ſubtiliori animadvertendum. Adhæc cum iiſdem fere locis ante dictis ad mineras montis S. Andreæ perluſtrandas morarer, cognovi à fide digno viro, quod tum ante paucos annos nummi argentei, quos Taleros vocant, ſpatio unius anni, excuſi, neſcio, qua ratione plus auri in ſe continuerint, quam pretium eſſet argenti, quod quidam olfacientes Andræanos illos cum cruce inſignes ejus anni in ſuum lucrum *Notabile.*

converterint, idque non exiguum: Quod contigiſſe arbitror, quod mineræ illæ, quæ argentum viſibile ad oculum (vocant *gedigen*) habuerint, cum hæ plus auri ob perfectionem majorem abſcondant, confuſæ ſint cum aliis, nullo reſpectu habito ſeparationis aut quartationis. Ex quibus de Lunæ ipſiúsque Solis incremento aut decremento rationabiliter quis judicare poterit & ad uſum chymicum applicare, ut non opus ſit hæc copioſus, prout fieri poſſet, demonſtrare: Nunc de tribus uſibus Lunæ ad aurum, tincturam & medicinam paucis loquemur.

De I. Vſu, ſeu coagulatione Lunæ in aurum.

Abſque dubio fuerunt, qui videntes hanc naturam in auro & argento propinquitatem, imò amorem & conſanguinitatem eam, quæ eſt & eſſe debet inter filium & matrem, putaverunt ſe poſſe obſtetricis officio fungi, aut inſpectoris & tutoris, atque hanc ſobolem inceptam ad perfectam formam auri promovere caloribus artificialibus mi-

niſtris ſeu ignis ſeu aquæ factitiæ acrioris, ſeu pulveribus aliis quibuſcunque admixtis. Qui ignem adhibuerunt, aut mineras ipſas aut ſolidum corpus argenti attenuandum aſſumpſerunt. Mineræ verò argenti ſunt variæ, & non unius pretii aut perfectionis, nec formæ viſibilis aut denominationis. Inter quas illud argentum, quod rude ſeu *gedigen*, capillatum filatúmque vocant, optimum eſt. Deinde eſt minera ſanguinea, *rothguldig*, hinc in plũbi colore *Glaſſertz*, dicta, ne quid de aliis generibus adjiciamus, imperfectioribus, quo ad proportionem argenti, & impurioribus, quo ad materias admixtas. Ex his igitur, ſi quis experimenta capiat, in idem recidet, de quo dictum ſub Saturno & aliis, quod nimirum aut longiſſimum naturæ tempus ipſi expectandum ſit, ac vaſa & calor ſubterraneus æquandus, ſi in his naturam imitari velit, quæ omnia homini ſunt impoſſibilia factu: ſi verò naturam in aliquo eorum excedat, neque tum ſequetur naturæ effectus. Vnde calore exiguo nulla emendatio fiet, niſi longiſſimo fortè aliquot ſeculo- *1. Circa mineras argenti.*

rum tempore, calore forti, argentum fluet ex minera ſua in corpus ſolidum, & relinquet ſuum ſulfur adnatum, & quæcunque alia, nec jam ampliùs erit fœtus, ſed fructus abſolutus in ſuo gradu. Quod ſi nunc relictis mineris quis huic corpori argenti ſolido vel foliato, limato, vel alias in pulverem reducto operam ſuam impendet, ille eodem modo eam luſurus eſt. Igne enim levi nihil efficiet, forti fluxionis perdurante, argentum conſumet in vitrum rubeum, ut ab aliorum experientia patet. Ergo dimittendum argentum per ſe. Hinc alii aquas factitias, acriores ex ſalibus factas, gradativas, fixativas, & hujuſmodi invenerunt, & argento ſolvendo, graduando vel fixando, ut loquuntur, adhibuerunt. Aquæ autem hæ ex innumeris materialibus factæ ſunt, ut vitriolo, ſalepetræ, ſale cõmuni, armoniaco, gemmæ, aluminibus, cinabari, viridi æris, Mercurio ſublimato & aliis ſimilibus. His ſolvunt argentum & macerant diverſis modis, quos non curamus, ſed addemus ſaltem, quid de eventu harum operationum ex rei natura ſperandum ſit, quid non. Argentum habet æqua-

2. Circa corpus argenti ſolidum.

3. Per ſolutionem tam aquis acribus.

tionem in ſuis qualitatibus, ſed non tam alterum graduum, quàm aurum: Vnde illud magis corruptioni obnoxium, quàm hoc. Novimus circa has quæſtiones communiter ſtatui, quod elementa quatuor ſint in miſtis omnibus in ſummis gradibus, ſed excellentiam agentium elementorum retundi à patientibus. Quod ſi ita eſt, nihil tamen hoc detrahit huic ſententiæ, quod poſſit eſſe æquatio in multis gradibus, præſertim in metallis perfectis, in quibus eſt duplex mixtio, una ſpectans ad formam, altera ad materiam, quæ duplex mixtio non eſt in aliis elementatis eodem modo: ſunt ex vegetabilibus quædam ad qualitatum temperiem accedentia, ut fortè cenſeri poſſit manna, ſaccharum & his ſimilia: Verum hæc temperies non eſt vera qualitatum æquatio, adhæc ſimplex, in qua ſint elementa in ſummis gradibus, in qualitatibus retuſa. In Luna & Sole aliter ſe res habet, quia forma ſeu tinctura cujuſque habet hanc temperiem, & materia ſimiliter, licet in alio gradu. Vnde Bernhardus Comes & alii in auro rectè duplex calidum, frigidum, humidum & ſiccum ponunt, ut & in ar-

gento. Nam Mercurius auri, veluti materia, habet mixtionem ſuo modo temperatam, excedentibus frigidis & humidis qualitatibus: ſic tinctura auri ſeu forma, habet ſuo modo temperatam mixtionem, ſuperātibus calidis & ſiccis qualitatibus. Vndæ ſunt æquationes in auro, non exactæ tamen, ſeparatim intellectæ: ſi verò conjungantur materia & forma, fit una exactiſſima qualitatum omnium æquatio in ſummis gradibus. Quia frigidum & humidum in uno, & calidum & ſiccum in altero excellens fuit ſeu ſummorum graduum: ſic & de Luna dicendum, cujus tamen forma non adeò calida & ſicca, ut Solis, inde nec tantum materiæ amplexa: His ſtantibus & conſideratis, ſi per aquas gradativas ex argento debeat aurum fieri, neceſſum eſt, hanc æquationem qualitatum argenti æqualiter promoveri ad ſuperiores & intenſiores gradus auri, quod nullo modo fieri poſſe, eſt rationi conſentaneum. Vt enim nulla domus regia, ex lapidibus & lignis extructa, ſatis ampla (non loquimur de tuguriolo aut ligneis tabulatis) unà cum ſuis partibus, quæ ſunt fundamenta, tectum & parie-

tes, vi humanâ (niſi fortè angelicâ) de loco inferiori in montem excelſum trāſportari poteſt, manens in ſua integritate, quin collabaſcat & corruat, ita nec argenti quatuor qualitates inter ſe temperatæ & æquatæ, unà cum ſubſtantiis illæſæ, ad auri temperamentum & æquationem provehi poſſunt ullà vi aquarum aut aliarum rerum, quin deſtruantur aut corrumpantur ad qualitatem agentem, quæ eſt calida & ſicca. De Archimedis Automatis non eſt dubium, quin illis navem ſolâ manu movere de loco in locum potuerit, quò multorum millium exercitus eandem abſque illis attrahere nequiverit. Verùm quod promiſit idem, ſe terrenum globum ſuis inſtrumentis promoturum, ſi modo aliud firmum eſſet fundamentum, quo pedem poneret, illius ingenii magnitudini concedimus, non viribus, nec arti. Ita nullo modo largimur artificibus chymicis, eos per inſtrumentales ſeu graduativas aquas argentum poſſe perficere in aurum, licet præſumant eo inſtituto, quia videant ejuſmodi aquis nonnunquam ex argento aurum educi, quod ibi latebat, non vi aquæ trāſmuta-

toria, ſed potiùs ſeparatoriâ. Vnde falluntur illi, qui dicunt, ſe in argentum certas uncias auri inducere poſſe, cùm, ſi experientia non reclamet, potiùs ex argento id educant. Nam ſi educere poſſent ex argento aurum, eſſet aurum ibi vel actu vel potentia: ſi actu, tum eſt ſeparatio propriè dicta: ſi potentiâ, vel propinqua vel remotâ: Non propinquâ, quia ita eſt in propriis mineris: Ergo remotâ: At remota potentia non poteſt ad actum pervenire, niſi per propinquas tranſeat: Ergo in mineras auri argentum tranſire debeat: ſed neque tum potentia propinqua in actum deducitur, niſi per naturam ipſam, ut demonſtratum. Nam quod ars ſeparat ex mineris, eſt ſaltem obſtetricatio, quæ nihil addit fœtui perfectionis, ſed à natura perfectum juvat ad exitum, & purgat ab excrementis extrinſecus adhęrentibus. Idem de ſalibus & pulveribus a-

4 *Cũ ſalibus & pulveribus aliis.* liis, quibus argentum in aurum transformari præſumitur, iudicium eſtò. Hæc enim potiùs ad ſuam naturam, hoc eſt, terreſtrem & ſiccam, reducere poterunt argentum, quàm ad aurum æquatum, cum omne agens agat, ut ſibi aſſi-

milet patiens, exceptis iis, ubi fit ſubſtantiarum commixtio, ita ut ex pluribus una fiat, ut in mulo, ſpiritu vini & aqua mixtis, & auro apparet, ubi mulus ex diverſæ ſpeciei ſeminibus, ut aurum ex materia & forma, utráque Mercuriali, hac calidâ, illa frigida: At talis commixtio non fit in aqua gradativa & argento. Vnde illa agit in hoc, ut ignis, donec abſumat humiditatem argento propriam, & inducat ſuam ſiccitatem & terreſtreitatem. Quidam addunt hiſce mixturis ſalium aut aquarum ipſum aurum cum argento incorporatum, ſperantes perfectum minùs à perfecto majori adjutum iri. At eadem cauſa contrarium eventum produxit, quæ antea. Cùm enim aurum non dare poſſit, ut ſæpè demonſtratum, alteri, nec argentum ex ſeſe auri formam habeat, hinc nec ab aliis eam non habentibus accipere poteſt. Scimus, quoſdam eſſe, qui non ad eſſentiam cujuſque rei internam, ſed ſaltem externam formam reſpiciunt, & interim promittunt argenti in aurum promotionem ſeu nobilitationem modo per artem facili & poſſibili. Nam argentum, inquiunt, eſt fixum quodam-

5 Cum mixtione metalli unius & alterius perfecti.

6 Per quamcunque extrinſecam aſſimilationem cementatione.

modo, licet non fixione auri, eíque nihil deeſt ad fixionem, quam ut magis igne coquatur, & compactius reddatur, quod ſale communi aut huic ſimili cemento, ſtrato ſuper ſtratum poſito fieri poſſe non dubitant, cùm ſal commune humiditates ſuperfluas argenti conſumat, poros conſtringat, & ſubſtantiam magis coire faciat. Vnde poſt auri pondus acquirat, nec in aqua forti ſolvi ſe patiatur, utpote aurum album: cui ſi tinctura flava auri addatur, dicunt id in aurum optimum converti. Reſpondeo, conceſſis illis omnibus, de quibus tamen adhuc ſub judice lis eſt, & tincturâ flavâ ſeu rubrâ argento communicata, dicendum, quod non ſit aurum verùm & naturale, quod ex ſua formâ eſſentiam habeat; cum illud potiùs à materia eam habere præſumatur; nempe materia præparata eo modo, ut formæ quaſdam vires exprimat, non omnes. At objiciùnt, Hoc, quod omnes auri proprietates habet, eſſe aurum verùm; quas cum hujuſmodi agnoſcat, quidni & pro verò aurò agnoſcatur? Quibus replicamus, quod neque hòc habeat veras auri proprietates omnes, nec habere

poſſit, cum non à formâ proficiſcantur, ſed potius à materia: ſit color flavus, at non durabilis in omnibus examinibus; ſit pondus majus argento, at non verùm auri, quod ſub duplo aut circiter majus in auro, quàm argento: Ne quid de extenſibilitate aliiſque proprietatibus auri dicamus, quæ à forma, & non à materia principaliter depēdent: Quin colorē verū negamus ipſi dari poſſe, niſi ab argento vivo, fixo, tincto, rubeo: quod ſi tale non ſit, ab argento erit ſeparabile, quia in profundum ſubſtantiæ non penetravit, & ignibus ſuperabile & delebile; quia non eſt æquatio facta: ſi ſit, eſt tinctura & forma vera, quæ etiam materiam non præparatam præparat, non compactam compingit, non fixam fixat; in fixam autem ac præparatam miſſa eam perficit ampliùs in reliquis defectibus & ſpoliat à ſuperfluis, ſi quæ adſint: Analogon itaque auri dicendum eſt tale argentum, non aurum, de cujus examine potiùs ipſo facto, quàm diſcurſu judicari liceret. Hinc ad ſecundum argenti uſum accedimus, nempe ad Tincturam.

De II. argenti uſu ad tincturam.

Ex argento formam ſeu ſulfur haud pauci educere tentarunt diverſo reſpectu, hoc eſt, vel ad augmentandum cum ſuo proprio corpore Mercuriali, vel alio quocunque addito, idque vel ad argentum, vel aurum. Cùm enim Philoſophi ſæpenumero inculcent, ut & verum eſt abſque amphibologia, in argento eſſe ſulfur argenti ſeu tincturam argentificam ſive formam agentem, & in auro ſulfur auri; dummodo exinde haberi poſſit ſupra terram, vel educi ſubtili artificio, hinc diverſas vias aggreſſi ſunt ad hanc intentionem perveniendi, quas (cùm innumeræ ſint partim, partim arcanæ pro cujuſque inventione, ideóque nec numero aut exiguo tractatu comprehendendæ, nec ingenio indagandæ) in pauciores ac potiores contractas hic cujuſque judicio conſiderandas, ut de reliquis indè concludat, proponemus. Primò poſſet quis exiſtimare, in argento non eſſe aliquod ſulfur, ſed ſaltem Mercurium, qui albus apparet, cùm ſulfur rubedinem habeat. Vnde ex Mer-

curio vulgi coagulato facilè argentum fieri, nec opus eſſe introductione alicujus ſulfuris in illum: ſed cauſam hujus rei impoſſibilitatis in primo capite retulimus; quæ & hinc conſtat, quod argenti vivi coagulatio in argentum quocunque modo ſive per imperfecta, vel alias contingat, medio ſulfuris calidi & ſicci comburentis apud naturam fiat; quod ſuâ actione perpetua in argentum vivum illud coagulatum introducat ſuam vim calidam & ſiccam, donec id in argentum primò & poſt in aurum perficiatur. Vnde apparet, quod ſit ſatis magna caliditas & ſiccitas in argento, quæ non eſt in argento vivo coagulato, nec plumbo, nec Iove, nec ipſa Venete, reſpectu argenti vivi, non autem ſulfuris comburentis ſeu terreſtris adjuncti, cujus conſideratione Venus valde calida, & Saturnus non ita frigidus, nec Iupiter, imò Luna ſint calidiores cenſendi: Qui nihil aliud, quàm argentum vivum coagulatum id arbitrati ſunt, nec habere argentum formam ſeparatim conſiderandam, hac ratione ſeducti, cum eo ipſo tanquam Mercurio indiviſibili alia imperfecta tingere conati ſunt:

1 Coagulatione Mercurii argenti.

quod ſanè fieri poſſet, ſi non eſſet aliud quid tinctura argentifica, quàm argentum vivum coagulatum ac æquatum: ſed cum illi ſua intentione & ſpe fruſtrati ſint, hinc quoque patet eorum falſum fundamentum, & tincturam argentificam habere in ſe plus caliditatis & ſiccitatis, fixitatis, tenuitatis & ſpiritualitatis, quàm argentum ipſum ab ipſa incorporatum. Vt enim homo non eſt ipſa anima rationalis, nec corpus ſolum eſt homo, ſed hic conſtet ex anima rationali & corpore, ſic argentum ſuo modo ex forma & materia, & per conſequens argentum ipſum non eſt forma argentifica, nec argentum vivum, utpote materia eſt argentum, multò minus forma ejus. Alij videntes, quod cum tota craſſa ſubſtantia argenti nihil tingere poſſent, magis tenuiorem ejus portionem à reliquis fæcibus, quaſi ſimilam à furfure ſeparare aggreſſi ſunt viis iiſdem & mediis, de quibus ſepè diximus, nempe ſalibus & aquis ſeparativis. At quo effectu? Hoc ipſi viderint; ſat ſcio, quod non Philoſophico aut ſperato: Quia hæc corrodunt totum & non ſegregant ejus partes, quas ſi ſegregarent, id tamen per violentiam deſtru-

2. Separatione ſulfuris eius.

ctivam, exiccativam & naturæ contrariam facerent, & ſic ſemen ipſum extractum corrumperent, ut nihil inde propagari poſſet, ne hoc quidem, quod antè fuerat, tantum abeſt, quod vim propagativam immittat aliis & multiplicationem ſimilium inſtituat. His difficultatibus obviam euntes quidam ingenioſiores, totum hoc negotium committunt Mercurio vel Mercurialibus, quibus antè dictum propoſitum perficiant, ſperantes Mercurio vulgi Mercurium & ſulfur argenti elicere, ut aves captantur avibus ſui generis. At quia totum argentum eſt Mercurius tam formâ, quàm materiâ, quis erit arbiter aut ſequeſtrator? Amalgamationes fieri poſſunt argenti cum Mercuriis, item & ſolutiones ſeu liquefactiones, velut butyrum in radiis Solis liqueſcit, ſed non ſeparationes ſubſtantiarum ejus. Quomodo dignoſcetur vis activa à patiente, hæc relinquatur, illa colligatur, cum utraque ſit alteri ſimilis, atque ita conjuncta, ut nihil intercedere poſſit, nec ſimile, nec diſſimile: ſi enim ſimile, conjungetur, & fiet unum: ſi diſsimile, non aſſumetur ab utroque, velut judex æqualis.

3. Separatione Mercurii ejus per Mercurium.

Verùm reſpondere quis poſſet, naturam hic potiſſimũ operari per calorem, non medium ſeparativum, nec artificem. Vt enim calor in lacte moto excitatus diſcernit heterogenea à butyro, nempe caſeum & ſerum, & congregat ejus homogenea, ita & hic fieri præſumitur. Et ſunt, qui aquam à vino ſecernant hederaceis vaſis, aut aliis modis; Hoc & argenti ſulfur à Mercurio ſeparari poſſe opinantur. His infero, quod corpora naturalia ex elementis compoſita per putrefactionem vel calorem facilè ſeparentur in diverſas ſubſtantias, in quibus non ſit mixtio fortis, vt in vegetabilibus & animalibus, ſed illa, in quibus fortior mixtio exiſtat, difficilimè, ut ſunt plæraque mineralia & metalla. Cùm itaque in argento & auro ſit duplex mixtio & æquatio qualitatum, eáque fortiſſima, inde non calore exiguo, ut lac, ſed nec igne fortiſſimo, ſuperantur, & hinc horum & illorum apparet maxima diſſimilitudo in modo ſeparationis ſubſtantiarum. Verùm demus, quod poſſint aliquam partem maturiorem de argento ſeparare, virtute ejus illæſa, quam ſi iterum projiciant in plumbum vel ſtannum.

Ex extractione ſulfuris nulla utilitas.

num, vel Mercurium, vel æs, tum ex ſingulis optimum argentum renaſci. Quid hoc ad tincturam? Sanè eſſet cum damno orbis Chriſtiani conjunctum, caſtra à Turcis, expenſis laboribus & ſanguine multorum millium occupata & poſſeſſa, iiſdem reſtituere abſque lucro aut reſtauratione aliarum commoditatum. Ita ſentiendum, ſi ſulfur ex perfectis, multis ſumptibus & ſudoribus petitum, poſt abſque ullo lucro, iiſdem corporibus, unde detractum, vel ſimilibus reddendum ſit. Ludus ſanè hic eſſet Siſyphius aut Tantaleus, non Philoſophicus, magis ad oſtentationem, ne dicam, deceptionem multorum, quàm utilitatem ſpectans. At reſpondent illi, hoc ſulfur detractum cum ſuo proprio corpore aut alio Mercurio, in infinitum augendum eſſe, ac reverà ſe habere inſtar bona ſeminii, quod ſucceſſu temporis ex parvulo cumulo in immenſum multiplicari poſſit, vel inſtar fermenti fermentandi cum ſua propria maſſa. Sanè ſi hoc fieri poſſet, & illud ſulfur haberi, opera illa eſſet optimè collocata. At vereor, ne hi bonæ voluntatis & magnæ ſpei homines

M

ſeipſos fallant; quibus quantum ſufficit, hac parte quoque ſatisfaciam. Nolim contra antiquiſſimorum Philoſophorum intentionem de multiplicatione tincturæ hic quicquam ſtatuere, quæ veriſſima eſt pro illorum intellectu, ſed huic negotio non convenit. Quomodo autem augebunt ejuſmodi tincturam ex argento extractam, cùm non conſtet, cujus originis ſit, imò cujus generationis aut propaginis, an ſit ex oviparis aut prolem lactantibus, aut ex putrefactione ſola exortis abſque patre & matre, ad hæc ignorant, quo nutrimento delectetur. Quodlibet autem ſibi ſimili nutritur, quo ad finem: & quibus conſtat, iiſdem augetur: ſi itaque augmentare: deberent verè, hoc eſt, humidum radicale & calorem naturalem multiplicare argentificæ tincturæ extractæ, hoc nulla re facient, quam eâ, ex qua illa per naturam fuit compoſita: ſed hanc rem ignorant. Ergo nec augmentabunt. Hæc ſunt adeo firma, ut omni exceptione ſint majora intelligẽti. Quod ſi affirment, ſe ſcire, cur, inquam, hoc non aſſumunt & relinquunt argentum?

Inſtantia. At illi inſtabunt hoc modo. Omnis for-

ma ex ſinu ſuæ materiæ educitur, ut patet in omnibus vegetabilibus, animalibus, excepta forma hominis, mineralibus ac metallis: cum in Saturni promotione in Lunam, forma Lunæ educatur ex materia Mercuriali ſibi propria. Reſpōdeo, hoc argumētum multa dubia admittet. Doctiſſimus Fernelius in myſticis illis libris de abditis rerum cauſis diſputat contrarium, & concludit omnibus miſtis formas aliunde immitti, prꝫſertim animalibus, atque hinc alias aliis eſſe nobiliores. Cui ſentētiæ, cum ſit valdè probabilis, & nihilominus intricata, hoc loco ſuperſedebo, & dico, quod ſecundum naturam ita ſe habere poſſit, ſed in hoc naturam non imitandam eſſe, quia arti ſit impoſſibile. Inde duplex modus ſtatuitur generationis auri, unus per dicta imperfecta, alius per proprium ſuum argentum vivum formale, quod ſi inſtar fumi miſceatur imperfectis, vel argento vivo cuicunque, brevi tempore id in aurum promovet. Hinc ex pyrite duriſſimâ, lapide lazuli, granatis & ſimilibus, quæ nihil imperfectorum metallorum continuerunt, aurum immediatè prove- *Reſponſio*

nit & per artem educitur. Hoc ultimo proceſſu utitur ars non priori. In hoc ultimo enim forma auri non ex gremio materiæ corporalis auri educitur, ſed ex potentia materiæ propriæ magis coctæ, ſpiritualis. Fruſtraneus itaque eſt labor, tincturam argenti augere velle cum materia argenti propria vel aliena, cum hæc ſit incognita operatio ejuſmodi, illa inepta: Novi equidem centenas ferè ab aliis præſcribi vias ad Mercurium aut ſulfur argenti & auri educendum, prout in libris illorum videre eſt, at ſequatur illas, qui velit & intellectu careat, rationali hæc pauca, ſed ſat firma, ſufficient. Verùm loquuntur Philoſophi, in argento & auro eſſe ſulfura perfecta, ſed in multis locis affirmant, illa per artem educi non poſſe, & addunt rationes, quia illa compacta & dura corpora, in quæ noſter ignis non agit, & ſi ageret, quid inquiunt, boni inde ſperandum? Imò manifeſtè dicunt, illa eſſe corpora mortua, Philoſophica autem viva; & perfectum perfici non poſſe, ſed imperfectum, à quo incipiendum, ubi natura illud reliquit & arti præparavit. Dicunt quidem illa duo cor-

pora, argentum & aurum, ſubtiliter præparanda eſſe, ut ſulfura inde habeantur, ſed ab iſtis præparationibus addunt, ſe excuſatos, ſi inuenire poſſint duos illos lapides, quos Deus nobis gratis conceſſit, de quibus videatur Iſaac in diverſis locis, & Arnoldus in ſuo novo Teſtamento. Quomodo verò iſti duo lapides inveniendi, aut alii eorum vice præparandi, hoc eſt, quomodo Luna & Sol in primam ſui materiam reduci debeant, patebit ex ſequenti figura.

TERRARVM ORBIS circumſcriptio.



Vt antiquitùs cum de Delphis quæſtio agitaretur, an eſſet in medio terræ, necne, Iupiter dimiſſis utrinque duabus

aquilis, quæ cùm circumcirca totam terram, una ad occidentem, altera ad orientem, pervolarent, & in Delphis convenirent, litem diremit: Ita Magellanus ille, cùm terrenum globum circumnavigabilem, quotquot vixerant homines antè dubitaſſent, ab occaſu ortum verſus nave penetravit, atque ſic circulum terræ integrum curſu (quod à nemine ante id tempus perpetratum) abſolvit: Verùm cùm ille in itinere occubuiſſet, ſocii ejus domum reverſi, unum è ſeptimana diem (quod mirandum eſt) amiſerant, ita ut feriam primam ſeu diem Solis, pro feria ultima ſeu Saturni, & diem Lunæ pro Solis acciperent, cùm interim Hiſpani eandem diem pro ſequenti haberent. Nec verò hi aut illi in computatione dierum aberrare poterant, ſed utrique veritatem, ut erat, complectebantur. Quæ res pro miraculo diu reputata, cùm ad ſapientiores ad diſcutiendum tranſmiſſa eſſet, reſponſum eſt ab illis, Magellanicos ſua peregrinatione abſolviſſe eum curſum circa terræ ſuperficiem, quem Sol peragrare ſolet ſpatio 24. horarum, in ſuo cœlo manens, atque integrum diem,

cum nocte ita conſtituere. Hiſpanos verò domi manſiſſe, nec interim aliquem curſum circum terram peregiſſe: Hinc neceſſariò Magellanicis unum diem integrum, qui conſtet 24. horis, deeſſe, quod licet primò valdè dubium, tamen poſtea cuique ingenioſo conſideranti veriſſimum inventum fuit. Ad hùnc ferè modum, ut in hac arte Lunæ & Solis reductio fiat in ſuam primam materiam, hoc eſt, ut duo illi lapides gratis dati inveniantur, non opus erit totum terrarum orbem pervolare cum aquilis illis, aut circumnavigare cum Magellanicis, aliàs Lunæ habebimus pro Solis, & Solis pro Saturni diebus, quod non convenit: ſi verò ita habituri ſimus, non multum aberrabimus, ſed cum ſociis illis, uti & Philoſophis, noſtram mentem ceu veriſſimam interpretari poterimus, cùm eadem ſit vera utrobique ratio. Illi, qui domi manent, nobisque libro reliquerunt, in materiam ſui primam hæc lumina converti jubent, nos, qui in Oceano operationum chymicarum verſamur, diúque verſati ſumus, reſpondemus, quod ea converſio ſit facta à nobis, dum binos illos lapides,

veluti aquilas orientalem & occidentalem, conjunximus in Delphis ſive furnis Philoſophicis : Verùm ſapientiores hanc litem judicent, ex quibus duo pro tempore ſufficient: Avicenna dict.1.cap. 2. *Ariſtoteles*, inquit, *de lapidibus*: *Duo lapides jacent in ſtercore, unus fœtens & alius bene odorans, parùm appreciati in oculis gentium : ſi ſcirent eorum valetudines, tenerent eos honorificè : ſed quia neſciunt eorum valetudinem, deſpiciunt & dimittunt eos ſuper ſtercora in locis fœtentibus & qui conjunget eos ibi eſt magiſterium*: Author conſilii cõjunctionis maſſæ Solis & Lunæ hæc verba exponit, ubi dicit: *Quod hujus artis duo ſunt lapides principales, albus & rubeus mirabilis naturæ : Albus in occaſu Solis incipit apparere ſuper facies aquarum, abſcondens ſe uſque ad mediam noctem, & poſtea vergit in profundum : Rubeus verò ex oppoſito operatur, quia incipit aſcendere ſuper aquas in ortu Solis uſque ad meridiem, & poſtea deſcendit in profundum* : Atque ſic propoſito ſatisfecimus.

De III. Lunæ Vſu.

Plurimi ex Luna medicinas extraxe-

runt, cùm tincturas nequiverint, non omninò contemnendas: dum tamen abſque jactatione, ne dicam, mendacio, non obtrudant magnatibus corroſiva & venenoſa pro alexipharmacis, capita mortua neſcio quarum nugarum pro magnis myſteriis. Quicquid ferè excogitari poteſt, ſive ens, ſeu non ens, illi experimentatores ex Luna educunt, nempe ſulfur, Mercurium, oleum, ſal, butyrum (utinam & panem cum vino) lac virginis, Lunam potabilem, & quid non aliud? Magni viri ſuis natis dant magna nomina pro libitu, nullo reclamante, ſic illi: At ut non ſequitur, ſi quis Hercules, Alexander, aut Iulius Cæſar vocetur, quod ſint illi ipſi, quos nomine repræſentent, ita nec judicandum horum magnifica nomina ſuis inventis (potiùs amiſſis) indita quicquam commune habere cum rebus, quas referunt. Vbi notandum, Lunæ, hoc eſt, argento, in quacunque præparatione ſingulares effectus aſcribi, quo ad morbos cerebri, nempe ad Epilepſiam vertiginem, apoplexiam & ejuſmodi ſymptomata: quod ſi ita eſt in rei natura, nil contradicendum. Verùm aliquid condonandum imagina-

tioni hominum, qui de argento & auro magnam ſpem in medicando conceperunt, etiam ibi, ubi nulla eſt ratio cognita. Argentum vulgariter vocatur Luna, ſaltem ut ſit pallium, quo à vulgo, occultetur, quicquid de èo ſcribitur, hoc alii interpretantur, quaſi omnes Lunæ cœleſtis proprietates huic metallo ſint inditæ. O cæcitas humana! Luna cœleſtis alba eſt, ita & argentum, ita cerebrum. Ergo hæc tria conveniunt, & morbi cerebri à Luna cœleſti ſunt, & curantur Lunâ terreſtri ſeu argento: Ejuſmodi ratiocinationes non multum habent veritatis, licet multum ad ſpeciem probabilitatis. Alii ad curandos jam dictos morbos, aut his ſimiles, utuntur limatura vel foliis: quidam oleis; aquis, lacte & butyro Lunæ, aliisque ejuſmodi, iisque nihil contradico, dummodo caveant ſibi à fæcibus aquæ fortis, quæ inhærent Lunæ nec inde ſeparantur, niſi in fluxu metallico: Nam Luna à Sole ſeparata per aquas acres affuſa aqua communi, deſcendans in laminam æream, magnam partem ejuſdem aquæ ſpirituum acrium & corrodentium apud ſe retinet, unde illa aqua

multum de ſua virtute amittit & ineffi-cax redditur, niſi de novo fortificetur. Hæ autem fæces ſunt ſummæ acredinis & plus nocumenti, quàm emolumenti, humanis corporibus adferre poſſent, ſi non mox, tamen ſtato tempore; ideóque ſummopere cavendæ ſunt. Quod ſiquis inferat, ablutiones toties eſſe factas, ut nihil acredinis ſentiatur, hoc parum confirmat: ſi verò quod ſua ex Luna petita remedia ſint facta abſque ulla acredine, nempe mirabili ſolutione aut coagulatione in aquis ſimpliciſſimis, cujuſcunque generis. Huic reſpondeo, bene quidem hæc omnia & vera eſſe poſſe, at quia ſolutio aut attenuatio corporis Lunæ non fiat aut fieri poſſit, niſi aqua ea vi prædita, ut in poros corporis Lunæ poſsit penetrare & ſe inſinuare, illudque veluti dentibus aut Strutionis ſtomacho conterere & digerere, hinc ſi ſit oleum, ſulfur, Mercurius, ſal vel tale quid de Luna factum, ſine omni dubio, hæc erunt participia iſtius acredinis & corroſionis. Aliud judicium erit de auro per quartationem à Luna ſeparato, quia hoc non admittit in ſuam ſubſtantiam illos ſales, ideo nec ſolvitur ab aqua forti propriè, ſed à ſale

armoniaco, oleo ſalis communis aut vrinæ, quæ non adeò noxia exiſtimo intra corpus humanum, dummodo cum cautione uſurpentur, quam antedictæ aquæ fortes.

CAP. VII.

De Monte Solis.

SOlis naturam poſtquam peculiari tractatu, tum quia medicinæ in rebus humanis optimæ ſubjectum ſit nobiliſsimum, tum quia ſcopus, ad quem multorum actiones non ſolùm in chymia, ſed omni penè vita, referantur, & quaſi parvus quidam mundus ſit, innumera in ſe complectens arcana, declarandam antehac ſuſceperimus, nunc ejus proprietates, quæ paſsim hic & alibi occurrunt, ſilentio tranſibimus, & ſaltem de uſu ejus triplici, ut hactenus reliquorum, pertractabimus.

De I. Vſu Solis.

Nullus quidem præſumere potuit coa-

gulationem Solis in Solem, ſed quia augmentationem, quam aliqui quærunt in Sole, huc referendam duximus, hunc quoque uſum præmiſimus. Perſuaſum enim ſibi plurimi habent, ut reliqua omnia vegetabilia & animantia propagandi ſpiritum & virtutem in ſe fouent & retinent, ſic quoque Solem, ſeu aurum ejus non eſſe expers aut omnino ſterile, eo argumento, quod creſcat ſub terris ex propriis mineris, & non ab initio mundi huc uſque, ut inane pondus, jacuerit, omni facultate vivificâ orbatum. Nihil eſt, inquiunt, vitali illo ſpiritu vacuum, qui permeat omnia terræ creata, eáque pullulare, ſibíque ſimilia producere facit. Elementa enim terræ & aquæ, quibus metalla abundant, ſunt pigra, & ad generandum inhabilia. Aër verò & ignis dant motum & ſpiritum ad ſeſe multiplicandum idoneum. Cùm itaque aurum omnia quatuor habeat elementa, & ex eorum mirifica concordantia & æquali temperie tantas dotes ut in igne perduret, & in re medica præſtantiſſimos effectus ad hominum ſanitatem conſervandam, & morbos depellendos edat, quis negabit, niſi inſa-

nus, huic adeſſe illum ſpiritum vivificum, & per conſequens virtutem ſeſe propagandi? His & ſimilibus, ſi ritè intelligantur, per ſe veris, ſi ſecus, non ſolùm falſis, ſed quoque multorum errorũ cauſis, hîc in tempore obviam ibimus, reſpondendo, quod doctiſſimi inter Medicos & Philoſophos agnoſcant, qui nos mixtorum ex elementis gradus. Primò ſimpliciter mixtorum & rudi Minervâ compoſitorum, eáque ſunt propriè meteora dicta, non ex omnium elementorum complexione, ſed quorundam ſaltem orta. Secundò perfectè mixtorum, ut ſunt lapides, mineralia & metalla, ex quibus alia perfectiùs, quàm alia, & nonnulla perfectiſſimè ſunt compoſita, nempe argentum & aurum. Tertiò vegetabilium, quæ præter mixtionem, vegetabilem animam obtinent, cujus beneficio nutriuntur, augmentantur in juſtam & ſpeciei convenientem magnitudinem, & ſeſe propagant. Quarto animantium, qui præter jam dicta, habent ſenſum, appetitum & motum. Quintò ipſius hominis, qui inſtar parvi mundi præter vegetabilium & animantium potentias, animam quo-

jam dicta, habent ſenſum, appetitum & motum. Quintò ipſius hominis, qui inſtar parvi mundi præter vegetabilium & animantium potentias, animam quoque rationalem, conſtantem intellectu & voluntate poſsidet. In his omnibus ſpiritus quidam eſt, ea permeans & vegetans, at diverſo reſpectu. In homine hic ſpiritus eſt cœleſtis originis & immortalis ſubſtantia. In cæteris animantibus, alterius conditionis, qui fortè ab aſtris iiſdem ſuppeditatur. In plantis adhuc ignobilior ſpiritus habitat, fortè ejuſdem ortus. Metalla verò, mineralia & lapides animam propriè dictam non habent, unde ſentiant aut vegetent, nutriantur, augeantur & generentur, ſed ſpiritum nihilominus & virtutem infuſam ab aſtris manifeſtè oſtendunt, ut patet in magnete, gemmis, mineralibus & metallis, aliis ſecundùm magis & minùs. Eſt quoque ſpiritus & potentia in rore, pluvia, grandine, & ejuſmodi, ſed longè inferiori ab his cenſu: ſi quis jam vim vegetativam metallis aſcribat, ut plantis, ille fallitur ſuo judicio, & confundit rerum proprietates. Tres itaque ultimi gradus per ſemina ſuam ſpeciem

ciem propagant, homo & bruta in diſ-
creto ſexu, duorúmque conjunctione,
plantæ vna ſaltem numero, ſed Herma-
phroditica virtute. Nullo autem modo
ſic metalla multiplicantur, cum genera-
tiva, augmentativa & nutritiva faculta-
tibus deſtituantur, quarũ vice motu gra-
vis & levis utuntur, hoc eſt, vapores ex
elemẽtis diverſa proportione miſti exci-
tantur calore, ut aſcendãt, & frigore con-
gelantur, ut deſcendant; Vnde fit mixtio
eorum omnium, in primis ſulfuris & ar-
genti vivi, ex quibus imperfecta, & ex his
perfecta oriuntur. Ex vaporibus itaque
metalla omnia conſtant, tam ferrum du-
riſſimum & aurũ ignibus durabile, quàm
Mercurius, aut alia leviter cõgelata cor-
pora, quò ad materiam, & ſaltem differũt
modo mixtionis ac coctionis: In auro, de
quo nunc loquimur ſunt ſaltem vapores
Mercuriales, non ſulfuris illius cõmunis;
atque ii ſunt duplices, alii materiales di-
cti, quia materiã ſuppeditant auro & ſunt
humidi & frigidi in magna copia; alii
formales, qui formam ſeu tincturã adfe-
rũt, & ſunt calidi & ſicci in longè minori
quantitate: Hi inter ſe mixti, ut in qualita-
tibus ſeſe mutuo non excedãt, cõſtituunt
N

aurũ naturale. Verum quidem eſt, quod magna ex parte forma & gremio materiæ educatur, hoc eſt, quod vapores illi formales fiant ex materialibus in operibus naturæ, quæ utitur longiſſimo tempore & calore temperato, quo vaporem humidum & frigidum convertat in calidum & ſiccum, at in his ars naturam imitari nequit. Hinc cùm animadverſum ſit eoſdem vapores formales ex propria ſua minera aliquando exhalare, qui ſi inveniant nullum argentum vivũ, nihil quoque inde exoritur, ſi verò apprehẽderint vaporem argenti vivi humidum & frigidum, hunc congelant in argentum & aurum. Nulla ergo ratio patet, cur aurum jam congelatum intra vel extra terrę viſcera, dicatur vegetare, augeri aut ſeipſum propagare, cum ſemen aliud non habeat, niſi duos illos vapores, ex quibus ipſum ejus individuum compoſitum eſt. Sperma illud ipſum, ex quo animal vel planta concrevit, non facit propagationem ſpeciei, ſed diſtributum eſt per omnes partes ad augmẽtationem individui, quò ad acumen perducto ipſum generat novũ ſperma in certis locis & partibus, ad propagationem ſpecies inſeruiens.

Tale ſperma cùm non generetur in auro, nec ſeſe propagare poteſt. Vnde illi, qui quærũt aurum purum, ignibus intactum, ex mineris ſuis vel fluviis collectum, idque per vim ejus propagativam, aliis mineralibus infundendam multiplicare ſtùdent, ratione quidam innituntur probabili, at quam experientia & rei ipſius natura refellat: Cui ſi quis fidem adhibeat, non opus erit ſumptibus & periculis haud levibus (ut contigit cuidã, mihi ſatis noto) tale aurũ congerere, inſtar formicæ Indicæ, & pro ovo Philoſophico excubandũ in furnis ponere: Quod ſi itaque hæc vis generativa ad ſui ſimile propagãdum idonea non ſit in auro illo ſpirituali, ex quo ignis nihil deſtruxerit, multo minus eſt quęrenda in alio cõmuni per ignes cẽties macerato & exhauſto.

De II. Vſu Auri ad Tincturam.

At alii non contenti his demonſtrationibus, cum legunt authores de auro loquentes, quod in eo ſit ſulfur eorum atque inde eliciendum, imò quod ipſum aurum vocetur ſulfur, & non è contra, non ulteriori inquiſitione facta ad au-

rum commune (ſed ut Arnoldus inquit, veluti aſini roſtrum ad fœnum, neſcientes ad quid & cur) manus porrigunt, quibus Poëtæ aureoli verſus optimè arridēt, ut ait:

Hordea cui cordi, demum ſerit hordea, in auro
Semina ſunt auri.

Sed illis iidem authores ſatisfaciant, cum inquiunt, Aurum Philoſophicum non eſſe aurum vulgi: nec ſulfur eorum eſſe ſulfur commune aut ex communi ſubjecto peti debere, propter cauſas, quas annectunt; quia hoc nimis durum & æquatum ſit, aut ut poëta addit, quia (ſemina illa ex auro petenda) nimium retro ſubmiſſa recedant: Hi, inquam, animadvertentes aurum in ſua ſubſtantia groſſa & dura quaſi ligatum nihil agere aut virtutem ſuam augmentativam ſeu propagativam exerere non poſſe, hoc eſt, ſulfur, tincturam, formam, Mercurium fixum, vel animam ſuam non relinquere, ad ſolutionem, macerationem, attenuationem & elixationem ejus ſe contulerunt, non diffidentes hoc modo tractatum id quæſito fini reſponſurum: Verùm quando omnium horum recordor, quæ hujus intentionis gratia à mul-

tis phantaſticis concepta, tentata & acta vidi, audivi & cognovi, inhorreſcere potiùs cogor & obſtupeſcere, quam de ſingulis narrationem inſtituere, aut rationem reddere: Quicquid de cœlo, terra, mari, aëre, & igne perquirere potuerunt, huic propoſito accommodarunt: Annon quidam mendaciſſimus mihi jactavit, ſeſe poſſe radios Solares in vitro captare & eorum eſſentiam extrahere; quo invento maximè gloriatur ad auri eſſentiam extrahendam adhibendo? Sunt qui rorem Majalam diſtillant pro materia omnium rerum prima ad diſſoluendum aurum, qui cœlum & omnia ex aquis creata aſſerunt ex ſacris. Alii terram rubram aridam ceſpite grammineo detecto per noctem ſub dio relinquunt & mane diſtillant inde aquam ad auri ſolutionem accommodam. Alii ex quercu veterrima arida ligna putrida accepta diſtillant ad eundem effectum. Quidam utuntur aquis Regiis cum armoniaco ſale, ex fortibus, factis, item oleo ſalis, ſpiritu urinæ, aceto acerrimo, aqua ex melle, ex chelidonio, ex Mercurio ſublimato, ex Mercurio cum ſtanno, oleo ſulfuris per aſ-

cenſum fumi facto, & innumeris aliis, quæ ſingula aurum ſolvunt, corrodunt, & in aqueam tenuitatem reducunt. *Circa auri ſolutionem.* Concedamus jam his aut ſimilibus aurum in liquorem ſolvui poſſe, aut ſolutum ab illis fuiſſe. Quid inde? Alii *1. Opinio.* hanc ſolutionem ſibi ſufficere putant, quia aurum ſpirituale, penetrabile & *2. Opinio.* tingibile activè fecerint. Alii hinc ampliùs elementa ſegregare ſtudent diſtillando & rediſtillando, donec in tinctu- *3. Opinio.* ram promoveant: Quidam ſulfur à Mercurio auri diſcernere tentant, iiſdem me- *4. Opinio.* diis. Nonnulli addunt huic ſolutioni metalla, Mercurios aut pulveres, ut incorporentur auro ſoluto, & uniantur. At cùm omnes enumerare ſit impoſſibile, cæteris omiſſis, his reſpondebimus, non dubitãtes, nos pauca calopodia plurimorum pedibus adapturos. Qui au- *Reſponſio ad 1. opinionem.* rum hoc modo ſolutum ſpirituale factum adfirmant, quibus fidem adhibebimus adeò, ut concedamus, quod etiam per alembicum totum evexerint, licet id non ſit cujuſvis operarii chymici, nihil tamen ad tincturæ Philoſophicæ eſſentiam ſpectans inde conficient, ſit aurum volatile & ſpiritualizatum, ut ve-

lit, nondum tamen ex materia facta eſt forma, aut ex patiente agens. Nam quod antè retuli de geminis vaporibus, auri integralibus partibus ſive etiam principiis, quorum alii ſunt humidi & frigidi, materiam, alii calidi & ſicci, formam auro conferentes, hic in primis ſpectandum, num ex hac ſolutione dictorum vaporum, humidi & frigidi convertantur in calidos & ſiccos, remanente ſufficiente humiditate, quà ingreſſus fiat in metalla alia? Quod ſi fieri poſſit, hæc tinctura eſt veriſſima: ſed quomodo hoc fieret? Quo inſtinctu naturæ hæc aqua ſolutiva pôteſt vapores illos alterare in contrarias qualitates ſummorum graduum, & interim relinquere ſatis ex primis qualitatibus non alteratum. Vnius rei ſimplicis vel naturalis, vel arte factæ, eſt ſaltem una ſimplex operatio excedens in qualitatibus, ut patet in igne, qui calefacit & exiccat ſummè, cuicunque admoveatur, nec quid humidi aut frigidi relinquit, ſed totum abſumit; quod ſi proæreſin ſive imaginativam vim aut rationem cum voluntate haberet, tum poſſet unam partem ſubjecti, in quod agit, intactam relinquere: At

neque tum ad hanc intentionem quid prodeſſet. Hinc aqua ſolutiva, ſi quid agit in aurum, totum id corrumpit, & potiùs in terream ſubſtantiam exuccam & inutilem, quàm ſummè calidam & activarum qualitatum redigit. Nam calor in aqua ſolutiva exiſtens eſt accidentalis ipſi aquæ, multò magis auro aut ejus Mercurio, hoc eſt, non eſt naturalis calor in illa aqua, ſed per vim ignis adductus, adſcitius & violentus, qui nec auro eſſentialiter communicari poteſt, niſi ad corruptionem ejus, de quo ſuperius. Qui per ſegregationem elementorum ex auri ſolutione hujuſmodi quicquam boni educere ſperant, multis inanibus laboribus ſe fatigant potiùs, quam id pręſtent: Idem enim quod jam dicti quærentes ferè per eadem inveniunt, hoc eſt, vel aurum integrum ſeu non ſolutum, ſed corroſum tantum & reducibile, vel in terram redactum, quæ ſuæ aquæ iterum permiſceri nolit, veluti Bernhardus Comes inter ſuos fruſtraneos conatus recenſet. Per ſui deſtructionem, ajunt Philoſophi, nulla res componitur, multo minus aurum. Si quis nepotis generationem appeteret,

Reſponſio ad 2. opinionem.

& ideò vellet filium ſuum unicum trucidare, atque ex ejus venis, nervis, viſceribus aut membris ſemen aliquod educere ídque in matricem nurus imittere ad prolis generationem, certè ille omnium hominum inſaniſſimus haberetur, deteſtatione potiùs quàm commiſeratione dignus. Interim hi perversè in auro quærunt ſperma ſive ſulphur, quod ad auri augmentationem, ſeu potiùs ſulfuris propagationem adhibere intendunt, abſque naturæ conſulto aut nutu, ignorantes, per deſtructionem unius individui non poſſe innumera ejuſdem produci, ſed illud in terram aut ſua elementa redigi, quæ ſemel diſſoluta ab arte, nunquam iterum conjungi poterunt. Fateor Philoſophos hujus elementorum ſeparationis & conjunctionis ſæpiſſimè mentionem facere, ſed tropicè potiùs, quam ad literam intelligi volunt, cum non rarò omnem elementorum ſeparationem evitari in opere debere tradant, & totum opus ad pauciſſimas eáſque ſimplices operationes contrahant. Videatur Iſaac lib. 2. *Reſponſio*
cap. 6. aliiſque locis. De ſulfure Solis *ad 3. opin.*
à Mercurio ſeparando quod difficili-

nus & inanis labor ſit, jam ante ſub expoſitione Lunæ, declaravimus, unde quantum huic errori ſufficiat, petendum. Eadem enim eſt ratio extrahendi hujus ſulfuris aut Mercurii, quæ Lunaris, niſi quod hæc ſit difficilior, nec utilior illa. Qui pulveres addunt Soli ſoluto ſive metallorum, ſive ſalium, idem ſtramen triturant, nec quicquam frugis inde, niſi paleas & pulveres, reportabunt, Cauſa hæc eſt, quia Tinctura auri hiſce mediis produci nequit, propter qualitates ſæpius inculcatas, nulli ſubjecto, niſi ſuo proprio (quod non eſt ex jam dictis) propriis operationibus (quæ non ſunt his ſimiles) communicandas aut naturaliter & radicaliter introducendas. Non opus erit hic repetere aliorum commixtiones, quas faciunt cum auro, nempe Mercurii, aut imperfectorum quorumcunque cum de his jam ante ſuo loco reſponderimus. Nihil enim ad Tincturam aut ſulfur auri augendum magis pertinebant quàm aqua ad ſpiritum vini per confuſionem multiplicandum, cum quo nihil commune habet, ſed quo plus de ea additur, eo magis vinum adulteratur & dilutius redditur.

Reſponſio ad 3. opinion.

Verùm his alii contradicentes: Ergo tu, inquient, non credis fuiſſe, qui ex auro Mercurium currentem eduxerint, aut alias tincturas ex auro elicuerint, in Mercurium vel metallum imperfectum jaciendas ad convertendum illud in aurum, cum utrumque ab experientia toties probatum etiam noſtro hoc ævo conſtet? Quibus concedo, utrumque factum ac fieri poſſe, ſed hinc nulla utilitas homini, ſed damnum & labor, ut ante ſub Luna demonſtravimus. Novimus enim permagnum Principem noſtro tempore id à quodam artifice popoſciſſe & impetraſſe, hoc eſt, auri in Mercurium reductionem, verùm cum ſperaret in hujus auri Mercurii coagulatione aut coctione Tincturam artémque omnem deliteſcere, eóque nomine diverſis chymicis eum Mercurium tractandum & perficiendum tradidiſſet, tandem inventum eſt, nulla arte aut ratione coagulari poſſe, nec ad tincturam inde proliciendam utilem exiſtere, nec cum auro quid commune habere, cui in amalgamatione, non ut Mercurius vulgi, conjungi voluerit. Cauſa hujus rei eſt, quod Mercurius ſit ſaltem ma-

Obiectio. 1. 2.

Reſponſio ad 1. Quod Mercurius poſſit educi, ſed abſq; utilitate.

teria auri, & tinctura ſeu ſulfur inde ſeparatum ſit: Veluti ſi ex lacte per artificium ſeparetur butyrum, tum ſi quis ex ſubſtantia reliqua ſeu lacte butyraceo, ſeroſo, velit iterùm butyrum aut lac, quale primò fuit, integrum efficere, ſtultiſſimus omnium hominum, aut ſi poſſit, ditiſſimus futurus eſſet. Hinc ex Mercurio ſolo auri non poteſt tinctura auri, nec aurum ipſum produci, quicquid conentur artifices. Nec verò illis fides adhibenda, qui dicunt, quocunque modo tincturam ſeu rubedinem eſſe auro detrahendam per oleum ſalis, ſpiritum urinæ, aut alias aquas ſolutivas, ac cum ea projectionem in alia metalla imperfecta fieri poſſe, ut in aurum reducantur; Corpus verò auri album remanens poſſe iterum in aurum ignis calcinatione, vel Veneris coloritio addito, vel etiã in tincturam ipſam promoveri. Nam ſi ſint veri artifices, qui hoc affirmant, tropicè cupiunt intelligi, ſi non perfecti, loquuntur ad ſuum captum, prout intelligunt ſcripta Philoſophorum, aut naturę mineralis ſecreta. Demus, quod tinctura ex auro poſſit ſegregari, quemadmodum plures feciſſe conſtat, & cum ea feciſſę proje-

Reſponſio ad 1. quod tinctura ſegrege-

ctiones in metalla imperfecta. Verùm hos non fuiſſe veros artifices, ſed magnâ ex parte deceptores, ex eventu animadverſum eſt, cùm artem in hac tincturæ extractione ex auro ſitam eſſe, ſibique eam cognitam adfirmarent, ſeſéque multiplicationem hujus tincturæ facere poſſe, aliósque docere velle acceptâ magnâ pecuniæ ſummâ falsò promitterent, cùm nihil ex iis præſtare poſſent. Tinctura enim hæc, ut ſæpè dictum, non eſt multiplicabilis licet ſit educabilis per artem ex auro. Vt nec butyrum ex lacte extractum multiplicabile eſt cum alia ſubſtantia, ſed ſolum ex lactis naturali compoſito educendum. Eodem modo de tinctura auri judicandum, quod illa poſſit quidem ex auro educi, ſed educta nullam ſui multiplicationem admittat, quicquid ignari tentent aut glorientur. Cauſa hujus impoſſibilitatis apparet, quia vis vegetativa aut nutritiva non eſt in auro ejúsve tinctura, ut in vegetabilibus vel animalibus, in quibus nutriens vertitur in ſimilitudinem & identitatem nutriti, atque hinc vegetabilia ac animalia creſcunt in debitam magnitudinem: ſed hoc non contingit in metallis ſub terra

tur & auro, ſed abſque utilitate.

in ſuis mineris propriis exiſtentibus, multò minùs extra terram integris aut partes ſeparatis. Inde aurum integrum non ſibi aſſimilare poteſt Mercurium aut aliam ſubſtantiam, eàmve in aurum tranſmutare, nec tinctura veluti pars auri ex eo abſtracta in ſe aurum, vel quid aliud promovere poteſt. Si quis contendat, etiamſi non metalla nutriantur, ut vegetabilia ac animalia, tamen veluti per naturam in illis tinctura creſcit & augetur, ſic quoque per artem.

Objectio alia.

Reſponſio. Huic quæſtioni antè reſponſum, quod qualitates calidæ & ſiccæ introducantur in Mercurium frigidum & humidum longiſſimo tempore, in vaſis naturæ, calore ſubterraneo ut extrinſecùs agente, & ſulfure calido & ſicco; velut igne interno operante & exiccante humiditatem illam Mercurii, & ad æquationem reducente: quæ cùm in arte nullo modo haberi poſſint, ut ſint eadem cum naturalibus, hinc nec qualitates illæ eo modo arte in Mercurium ullum introduci poterunt. Quidam ad hæc reſpondent, etiamſi artificialia vaſa, media & operationes non ſint eædem cum naturalibus, tamen ſequitur idem

Inſtantia aliorum ratione 1.

effectus per artem, velut per naturam, dummodò artificialia diſponantur ad modum naturalium, ut divus Thomas, aliique Philoſophi atteſtantur. Deinde metalla eſſe inſtar ovorum, quæ calore à matre propriâ ſeu gallinâ naturaliter, vel ab homine artificialiter (ut in Ægypto antiquitùs & adhuc fit) in vivos pullos excludi poſſunt. Ad hæc ſola coctione apud naturam aurum maturiſſimum metallorum produci, & imperfectis deficere coctionem, minus coctum verò magis coqui & maturari poſſe. Imò & id, quod maximè coctum ſit aurum quoque ſuperet in colore & maturitate. His quatuor rationibus ita breviter contractis, cùm ſint cauſa errorum inextricabilium multorum etiam ingenii ſubtilioris & voluntatis haud iniquæ in arte operantium, hoc loco ſatisfaciemus, quantum conveniet. Quando Philoſophi loquuntur, quod in vaſis artificialibus idem opus præſtari poſſit, quod à natura præſtantur in vaſis naturalibus, ſi illa ad horum modum accommodentur, tum non intelligunt, tanquam homo poſſit imitari naturam in mineris perficiendis ab infimóque ſtatu, hoc

Ratione 2.

Ratione 3.

Ratione 4.

Reſponſio ad rationem 1.

eſt, Mercurio aut plumbo, in ſummum, hoc eſt, aurum provehendis. Nam ſi hoc ita eſſet, tum mineræ per artem in aurum perfici poſſent coctione in vaſis artificialibus, at non niſi tempore naturæ debito, hoc eſt, mille fortè annis, non decem menſibus. Nec cogitandum eſt, naturam magiſtram rerum tanto tempore opus habere ad auri productionem, ad quod generandum ars non milleſimam partem temporis requirat, vaſis utrobique conceſſis paribus. At reſpondetur; Ars calorem intendere & remittere, item disjuncta conjungere & conjuncta disjungere poteſt pro arbitrio: natura autem ſaltem uno modo operatur ſimplici abſque remiſsione aut intenſione caloris, abſque compoſitione aut diviſione locali materialium. Verùm dicimus, artem non poſſe, nec velle imitari naturam in minerarum perfectione aut naturali auri generatione, cùm id ſit impoſsibile, etiamſi mineras jam à natura præparatas, velut ovum quoddam ad formam ſuam certam ordinatum ſumat & in aurum promovere conetur, ſed intēdere ad eundem finem per alia media, hoc eſt, reſpicere

picere ad ultimā productionem auri per productionem intermediam ejus tincturæ, velut partis principalis. Cùm enim natura aurum producat, & in eo ars illam imitari nequeat per media naturalia, tamen imitatur in fine per ſua propria inventa, non tamen à natura abhorrentia. Hæc media artis, quam proximè fieri poſſit, ad naturæ media accedere debent, hoc eſt, vaſa, calor & materia artis ad vaſa, calorem & materiam naturæ. Quod ſi natura faceret tincturas, aut ſi ars perficere poſſet mineras, tum ars in omnibus naturam imitari deberet, nec exceptio ulla daretur: At cùm neutrum fieri queat, vaſa tamen & media artis proximè ad naturam accedant, ut in fine conveniant. Inde dicunt Philoſophi, quod idem effectus ſequatur ab arte, qui à natura, ſi vaſa artis diſponantur ad modum vaſorum naturæ. At ſecundum, quod metalla ſint velut ova externis mediis & artificialibus ad ſuam formam promovenda, reſpondemus; id in minima parte veritati convenire, in plurimus circumſtātiis reclamare. Nam ova ſunt animata & habent formam agentem ſibi infuſam: Item nutriuntur

Reſponſio ad rationem 2.

vegetatione perfectâ; fractionem corticis non admittunt, alias humidum nutriens exhalaret, & vis generativa evaneſceret: Egent calore leni eodem tempore apud artem, ut naturam, nec ars aliquid facit ad ovi excubationem; ſed calor lenis, qui naturalis eſt, totum perficit, nec artificis media adjunguntur ipſi ſubſtantiæ ovi interiori, ſed manent extra ipſum: Vnde nihil addit ovo, ſed ut factum eſt à natura, ita manet & ad illam perfectionem, ad quam deputatum eſt à natura, per artis miniſterium promovetur. Verùm hæc omnia ſunt diverſiſſimo diſcrime in mineris metallorum. Hæ enim non ſunt animatæ, licet ſulfur calidum, ut agens, apud ſe habeant, nec nutriuntur: frangi poſſunt abſque exhalatione virtutis: quibus ſingulis non conſideratis, ſi tamen quiſquam exiſtimet, illas ab arte æquè ut à natura excubari poſſe, inſtar ovorum; neceſſum eſt, quod quoque idem tempus excubationi earum tribuat, quod naturæ eſt proprium, ut in ovis; in quibus excludendis eſt idem tempus apud artem, quod apud naturam: quod cum expectari non poſſit ab arte, ultra

mille annos; Ergo hæc comparatio in nullo convenit, nec in mediis, nec fine. Tertia ratio quoque nihil probat; quia coctiones naturæ & artis, licet uno nomine vocari poſſint, tamen reipſa longiſſimè differunt. Aurum coquitur ex mineris per naturam calore leni & temperato, longiſſimo tempore. Hanc coctionem ars imitetur calore æquè temperato, ſed nihil efficiet, niſi longiſſimum tempus intercedat. Quod ſi tempus artis ſit abbreviandum & calor intendendus, non eſt coctio naturalis, ideò nec effectus naturalis ſequetur, ſed aliud quid, de quo natura non curat. Inde dicimus, imperfectis quibuſdam deficere coctionem, eáque coqui poſſe à natura, non ab arte. Quicquid ars imperfectum reliquit, aliquando perficere, quicquid natura immaturum, maturare poteſt, non è contrà. Hinc aliqui narrant, in Sclavoniæ partibus foſſores metallicos occluſiſſe fodinas, ſi in metallum non ſatis maturum incidiſſent, per aliquot annos, fortè 60. ut maturius intermedio tempore fieret. Verùm humanæ vitæ ea eſt brevitas, ut ſi hoc verum eſſet, quòd 60. annis

Reſponſio ad rationem 3.

maturari poſſet, non expectare poſſet maturationem ejus. Quidam quoque referunt de lacu ſeu foſſa circa terræ ſuperficiem non profunda in Weſtphalico tractu, quod ſingulis ternis aut quaternis annis ejus loci incolas auro interim generato beet. Talia opera ſi per naturam fiant, artis tamen beneficio præſtari nequeunt. Maturantur quidem meſpilo tempore & paleis extra arborem; Item poma & pyra varii generis viridia, dura, nec ſatis matura, temporis diuturnitate digeruntur & coquuntur extra arborem, velut quoque in arbore naturaliter, quæ, non dubium eſt, arte breviori tempore poſſe digeri, & eſui apta reddi, tenendo ea in locis temperatè calidis, ut lectis aut ſimilibus: ſed non de ſpecie in ſpeciem, ſeu de forma in formam promoventur, ut contingere debet in mineris. Vva immatura, acerba, à ſe non differt eſſentiâ & formá eſſentiali, maturâ & dulci. At aurum à plumbo differt eſſentiâ & formâ, licet non materiâ communi & formà generali, ut homo ab aſino differt ſuâ propria forma eſſentiali, non autem forma generali animalis, quæ utrique &

homini & aſino æquè competit. Ars itaque mineras purgare poteſt per ignem à ſuperflua humiditate, ſeparando maturum à maturo, veluti pomum immaturum ſeparata humiditate ejus ſuperflua, per lenem calorem maturare, at ex mineris ipſis per maturationem aurum educere nequit, ut nec ex floribus pomi pomum maturum, avulſis utriſque à ſua matre ſeu terra & arbore. Natura itaque ſola ex plumbi mineris facit mineras auri, ars utraſque purgat, & ſegregat ab heterogeneis, atque ita natura immaturum coquit, ars maturum ab immaturo diſcernit. Vnde & quartæ rationis falſitas apparet, quod immaturum non ſolùm maturare poſſit, ſed etiam longè ultra naturalem maturitatem auri evehere in tincturam. Nam ſi id, quòd minus eſt, ineſſe non poſſit, alicui rei, quómodo inerit, quod majus? Quomodo puer, qui geſtare nequit viginti libras ponderis, portabit ducentas aut bis mille? Hinc cum mineræ non poſſint arte perfici in aurum, quomodò in millies perfectius perficientur, nempe tincturam auri. At ſunt quàm plurimi ex ita ratiocinantibus, qui *Reſponſio ad rationem 4.*

cum legerint in authorum libris, tincturam eſſe in Mercurio, Aurum totum nil eſſe niſi Mercurium, & in Mercurium reſolui poſſe naturam & artem ad perfectionem metallorum cauſandam coctione uti, opus figuli eſſe ſpectandum in arte Philoſophica; ex his & ſimilibus dictis opinantur in auro nihil eſſe niſi Mercurium ſimplicem, coctum ac coagulatum ad maturitatem, quemadmodum vaſa figulina alia ſunt minus, alia magis cocta, & ante coctionem cruda, nec eſſe aliam in auro compoſitionem, nullam æquationem qualitatum in quatuor elementis, nullam combinationem ſulfuris aut argenti vivi, nullam tincturæ, tanquam maturioris partis & formæ, in Mercurium tanquam immaturiorem partem & materiam introductionem, ſed differre aurum ſolummodo ab imperfectis, veluti carnes ad rubedinem uſque aſſatæ differunt à crudis, in quo diverſimodè falluntur: Nam aurum, ut ſæpè dictum, habet ſuam propriam formam, quæ non eſt in Mercurio, nec plumbo. Caro autem aſſata non habet aliam formam elementalem, quam eam, quam habet cruda, niſi fortè

paucis accidentibus ab ea differentem, Forma autem dat eſſe rei, & differentiam ſpecificam oſtendit, quæ cuicunque competit, eidem definitio & identitas rei competit. Cum itaque plumbum non ſit aurum, niſi tropicè dictum, aut potentia remota, non propinquiſſima, aut actu primo, minimè actu ſecundo, inde differt ab auro forma eſſentiali, longiſſimâ diſtantia, quo ad naturam, nempe ut inde fiat forma; reſpectu artis, ut inde fiat materia, in quam forma aliunde introducatur, propinquiſſima: Verùm de minerarum in aurum coagulatione ſub ſingulis imperfectis ſatis actum; nunc figuram huic capiti convenientem adjiciemus.

HIC EST LEO HOSPES Hominis, hic eſt homo medicus Leonis.



Cùm antiquitus Roma illa gentium victrix orbi dominaretur, accidit, quod

quidam in Africa ſervus ob facinora quædam commiſſa à domino ſuo fugeret in ſylvas atque invia ferarum latibula, ubi cum ſeſe aliquamdiu, ne ab inſequentibus traheretur ad pœnam, abſcondiſſet, Leo quidam inſignis magnitudinis in eaſdem ſylvas ſeſe contulit, qui cum fortè fortunà hominem ibi latitantem reperiſſet, ad eum acceſſit, nullam præ ſe ferens rabiem aut iram, ſed potiùs lenitatem, oſtentans ipſi unum ex pedibus anterioribus, quem læſerat. Homo perterrefactus primò ob belluæ tantæ conſpectum, cùm videret adeò circurem, admiratus quid cauſæ eſſet, cur pedem ſibi offerret, quem ubi manu apprehendiſſet, ac ſpinam interiùs adactam offendiſſet, eam extraxit. Leo à malo, quo urgebatur, ſe levatum ſentiens, prædas, ut antè inſequutus eſt, quas ad dictum hominem magnâ copiâ apportavit, eique potiorem partem illarum obtulit, veluti mercedem & præmium in ſe factæ medicinæ: ſervus vel igne vel Sole in Africa vehementiſsimè æſtuante, carnes maceratas & coctas pro levanda fame indies comedit, atque ſic longo tempore vixiſſe perhibetur.

Poſt cùm Leo prædationi ferarum pro more ſeſe dediſſet, in inſidias ſibi ab hominibus ejus loci prætenſas incidit, atque ita captus eſt: ac quia præ cæteris magnitudine conſpicuus, Romam miſſus: ubi loco publico ad certamina cùm gladiatoribus aut morte damnatis ſpectante populo ineunda ſervatus eſt. Accidit non longo indè tempore, quod antè memoratus ſervus, jam œconomo ſuo Leone deſtitutus, ad hominum conſpectum prodiret, ubi cùm agnitus eſſet, ac tandem Romam adductus, à domino, à quo affugiſſet, ob perpetrata ſcelera, belluis, ut mos erat, objectus eſt. In quem cùm Leo immiſſus eſſet, nil furoris in hominem agnitum, à quo ſe curatum recordabatur, ſed potiùs blanditias motâ hinc inde caudâ, oſtendit, & ante ejus pedes, ut ſolitus erat, procubuit. Hujus rei cum populus cauſas admiratus intellexiſſet, Leonem homini, ut & vitam cum libertate donavit, acclamans: Homo Leonis Medicus & Leo hominis œconomus vivat, vivat. Hoc etſi non pro facto, ſed apologo à quibuſdam receptum ſit, tamen reverà ita contigiſſe memoriæ proditur ab Aulo

Gellio lib. 5. noct. Attic. cap. 14. qui ſervum Androdum ſeu Antroclum appellatum fuiſſe aſſerit, hiſtoriámque prolixè narrat, ut quilibet loco dicto legere poterit. Idem de Mentore Syracuſano, in Syria Leoni eodem modo medicante, nec non de Helpi Samio in Africa, alii ſcriptores narrant. Nos, ſive id Romæ acciderit, ſive non, meminimus in Eutopia, ubi Philoſophorum turba congregata fuit, ſimile quid obſervatum eſſe. Servus enim Leoni medicinam, & Leo ſervo cibum, per vices miniſtravit, cúmque utrique capti ſint, ſingulari amore ſeſe mutuo proſequuntur, ita ut Leo ad obſequium ſervi, & hic Leonis, in perpetuum devinctus ſit. Leo hic in Cytherone monte, & Nemea ſylva degens ex Luna decidit (veluti in Hieroglyphicis noſtris inter Herculeos labores retulimus) de proſapia Solis, viridis viribus, magnanimus robore, celer pedibus, furore horribilis, à ſolo ſervo cicur & manſuetus redditur, non violentiâ, ſed officio, non vi, ſed amore victus. Iunge ergo ſervum tuum rubeum ſorori ſuæ odoriferæ, & hi duo artem gignent.

De III. Vſu Auri.

Nullum eſt dubium, quin ex Sole optima Medicina corporibus humanis valdè utilis concinnari poſsit, tum quia à vulgo propter pretioſitatem & cariſsimam raritatem ita æſtimatur, tum quia à medicis & chymicis ab experientia & ratione edoctis idem ſtatuitur. Hinc aliqui ex vulgo, fortè medicorum præſcripto, ægris aurum copioſiſsimum conſpiciendum, & tractandum offerri jubent, quia oculis propter colorem & ſplendorē acceptum, in phantaſia ſpeciem haud ingratam excitet, unde cor lætitiâ vel affectu mitiori accenſum ſpiritus vitales ad membra affecta tranſmittat uberiùs. Aliqui aurum non aſpectu, ſed tactu prodeſſe ægris referunt, at potiùs alieno, hoc eſt, ſi medicis & pharmacopœis pro optimis medicinis in tempore adminiſtrandis, in manus tradatur. Vtrumque non nocere arbitramur, illud imaginatione patientis, hoc effectis agentium: Verùm aliqui externis hiſce auri remediis non contenti, intrinſecus illud comedendum obſerunt. Cùm verò ſciant, id dentibus conteri

non poſſe, in limaturam ſubtiliſsimam reducunt, vel in folia extendunt tenuiſſima, atque ita miſcent cum electuariis, conſervis, pulveribus, ſyrupis aut liquoribus aſſumendis, non abſque cauſa ac effectu, nempe ut corroboretur & ſpiritur vitali abundantiori illuſtretur. Quidam diffidentes corpulentæ ejus ſubſtantiæ, ignitum aurum aliquoties extinguunt in aquis cordialibus, atque ita propinant. Marſilius Ficinus de ſtudioſorum ſanitate tuenda, libro ſecundo, utrumque modum jam dictum approbat, cum inquit: Aurum fermè potabile habebis, ut dicam: Collige flores borraginis, buglоſſæ, meliſſæ, quam citrariam nominamus: Et quando Luna Leonem ſubit vel Arietem, vel Sagittarium, aſpicitque Solem aut Iovem, eóque cum candido ſaccharo, aqua roſacea liquefacto, & pro qualibet uncia inſere diligenter auri folia tria: Iejunus cum vino quodam aureo ſume. Verùm alii conſiderantes auri compagines adeò firmas, ut non ab ignibus aut aquis fortibus ſuperari aut diſſolvi queant, non contenti extinctione ejus aut corpulenta adminiſtratione, id ſolvendum priùs & ad

medicinalem formam reducendum arbitrati ſunt; utque hoc effectum darent, innumeras vias inierunt, quæ omnes non aſpernandæ, ſed tamen earum aliæ aliis ſunt longè meliores & naturæ humanæ accommodatiores: Quidam ſolvere tentarunt aurum cùm Mercurio communi: Atque hi facientes amalgama, tandem longa coctione & præcipitatione pulverem rubrum ſeu præcipitatum habuerunt: Alii ut hoc facilius & citius præſtarent, ſolverunt utrumque ſeu aurum amalgamatum cum Mercurio, in aquâ regia, qua ſubtracta & aliquoties refuſa, iterùmque diſtillata, turbit, ut vocant, acceperunt, multis lotionibus edulcoratum intra corpus dandum: Alii amalgama aliis aquis corroſivis Mercurii ſublimati, ſulfuris per campanam diſtillati, aut eiuſmodi ſolverunt, à quibus deſcribendis, veluti & uſurpandis abſtinemus: Quidam aceto acerrimo, ſpiritu urinæ aut ſalis ad eandem intentionem utuntur, iiſque aurum potabile fieri poſſe promittunt: Verùm hiſciant, Aurum potabile antiquorum Philoſophorum eſſe longè aliud, nempe abſque peregrini alicujus additione

factum ex Tinctura perfecta cum ſpiritu vini mixta, quæ cum pauciſſimis divinitus conceſſa ſit, ejus loco Aurum potabile nihilominus fieri poſſe concedimus, ex auro calcinato debitè & ſoluto iis mediis, quæ naturæ humanæ non ſunt adverſa at familiaria. Quidam ſolvunt aurum antimonio, vel Mercurio ejus, aut per ſe ignibus aduſtum continuis reverberantibus in pulverem, ut ajunt, redigunt medicinalem; qualem Moſen feciſſe conſtat ex ſacris literis, cùm aurum vituli aurei combuſſerit in pulverem & Iſraëlitis bibendum propinarit. Quidam aurum in ſulfur, oleum, ſal, pulverum, ut pollicentur magis dictis, quàm preſtant rebus, conuertunt, atque ſic Magnatibus vendunt, fortè plus veneni quàm Alexipharmaci reconditum habens. Plus enim corroſivi illis compoſitionibus adeſſe ſuſpicamur, quàm auri, quicquid multi Thraſones jactent, quibus aurum lucrandum potius in mente, quàm propinandum ægris in medicina propoſitum eſt, novo genere aucupii & quæſtu uberrimo. Illi enim non ſolum lucrantur aurum (pro eo dantes neſcio quid

frivolum) ſed & animas hominum, ut Plinius ſalsè inquit, & faciunt experimenta per mortes: Horum experientiam Stratonicus Cytharœdus laudabit quorum benefacta Sol aſpiciat, errores & malefacta terra tegat. Deus optimus Maximus concedat omnibus bonæ voluntatis & artis filiis legitimis, ad ſui gloriam hominiſque utilitate , NEPENTHES illud Aureum ab Helena Te' macho datum, quo, ut ille, præteritorum laborum, luctus, doloris & malorum omnium oblivione capti, ipſi cum lætitia & animi quiete gratias agant ſempiternas.

FINIS.

1384-705

2/2